



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsqve Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

## I.

## Idololatria.

Vide v. *Decalogus*, *Superstitia*.

1. **I**dololatria (sic dicta ab ido'lo) est peccatum, quo honor seu cultus Dei tribuitur creaturæ, estque peccatum gravissimum ex suo genere; ita ut ab hoc peccato non excusetur metu mortis, imò neque ignorantia; quia recta ratio evidenter dicit non esse colendam creaturam loco Dei. *tom. 1. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. q. 5. punct. 2. nu. 1. & seq.*

2. Ficto animo colens idolum metu mortis, peccat, & committit idololatriam externam, quæ intrinsecè mala est *ib. n. 5.*

## Ieiunium.

Vide v. *Peccatum*.

1. Jejunium Ecclesiasticum est voluntaria abstinencia à cibo juxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. Dicitur jejunium abstinencia à cibo, qui principaliter institutus est contra famem, sive cibus sit densus, ut panis, caro, &c. sive liquidus, ut lac, jusculum, amidum amygdalarum, &c. & non sumitur per modum medicinæ, vel ad conservandam vocem, vel pellendum oris foetorem. *tom. 1. de præceptis Ecclesiæ, disp. ult. quest. 1. punct. 1. n. 6. & 7.*

2. Qui sapius bibit in die jejunii ad expellendam famem, non peccat mortaliter contra præceptum jejunii; fieri tamen potest, ut delictum committat contra temperantiæ virtutem, detque causam ebrietati, quæ, per se loquendo, intrinsecè mala est. Tunc autem cognoscitur quis esse ebrius, quando ratio intercepta est, & prudentia ita consopita, ut vino temulentus non advertat quid agat, & bonum à malo non discernat. *ib. n. 4. & 8.*

3. Tempore jejunii abstinendum est à carnibus. Per carnes autem intellige illas, quæ à piscibus contradistinguntur, juxta communem Christianorum usum aut Medicorum judi-

judicium. An verò tempore jejunii abstinendum sit à lacti-  
ciniis standum est legitimæ locorum consuetudini. *ib. punct.*

2. n. 1 & 2

4. Obtinens privilegium comedendi carnes in die jeju-  
nii, per se loquendo, tenetur abstinere à multiplici refectio-  
ne, modò aliunde non excusetur. Neque adveniente neces-  
sitate comedendi cibos vetitos in die jejunii petenda est li-  
centia, modò necessitas evidens sit & certa: quòd si dubite-  
tur de sufficientia necessitatis, petenda est licentia ab Epi-  
scopo, vel parochò, si Episcopus commodè adiri nequeat.  
*ib. n. 3 & 5.*

5. Qui vovit jejunium, aut cui jejuniur à Confessario in-  
junctum est, vel à Papa in Jubilæo, potest extra Quadrage-  
simam vesci lacticiiniis, aut aliis cibis, qui juxta locorum con-  
suetudinem permittuntur in quatuor temporibus anni, &  
pervigiliis Sanctorum *ib. n. 6.*

6. Qui ventrem valde replet, satisfacitne præcepto jeju-  
nii? Satisfacit modò abstineat à cibis vetitis, & à multiplici  
refectione. *ib. n. 7.*

7. Unica refectio præcipitur in die jejunii, consequenter  
unica refectio sumenda est, & abstinendum est à multiplici  
refectione. Dicitur, *refectio*, quia licita est refectiuncula in  
vesperis, modò non adsit excessus in cibi quantitate, habito  
respectu ad personam & regionum constitutionem; & hæc  
refectiuncula non potest sine veniali, præcisa tamen causa  
legitima, transferri in tempus matutinum. Quod attinet ad  
cibi qualitatem sumendam in hac refectiuncula, præter u-  
vas, nuces, poma, vel alia ex saccharo, aut melle confecta, li-  
cite etiam sumi potest jusculum (modò non sit ex coctis ci-  
bis qui tempore jejunii interdiciuntur,) & comedi pisculus,  
aut exigua pars piscis majoris; imò multæ res in eadem re-  
fectiuncula degustari possunt, modò cibi quantitas non ex-  
cedatur, & refectiuncula non efficiatur cœna, nec aliud præ-  
ceptum obstat. Et non solùm à mortali, verùm etiam à ve-  
niali excusari potest, qui ob urbanitatem, vel preces amici,  
vel ne potus noceat, exiguum quid sumit in die jejunii: ex-  
gr. duas castaneas, duos ficus, vel quid simile, ut fieri potest,  
dum amicus amicum visitat in die jejunii. *ib. punct. 3. n. 1. &*  
*seq.*

8. Qui sæpius comedit in die jejunii, peccat solùm mor-  
taliter in secunda refectione, modò non vescatur cibis veti-  
tis.

tis. Item qui sæpius comedit in die jejunii, non advertit esse diem jejunii, tenetur posita advertentia jejunium adimplere *ib. n. 7. & 8.*

9. Invitans alium ad cœnandum secum in die jejunii, peccat, etiam si invitatus non teneatur jejunare. *ib. n. 9.*

10. Pœnitens in exprimendis peccatis violatione jejunii perpetratis, tenetur aperire an jejunii præceptum violaverit anticipatione horæ, an multiplici refectioe, & an ciborum vitiorum, cum hæc sint diversa. *ib. n. 11.*

11. Circumstantia & conditio temporis in refectioe laudanda in die jejunii, non tanti æstimatur ab Ecclesia, ut aliquando commutari possit, cum ea antiquitus vespere fieri meretur, & nunc sumi soleat circa meridiem; quamvis proinde de causa, ut causa itineris suscipiendi, licitum est refectioem anticipatè sumere, cum circumstantia temporis non debeat de substantia jejunii. *ib. punct. 4 n. 1. & seq.*

12. Qui privilegium prandendi ante horam consuetudine obtinuit, aut horam prandendi antevertit, tenetur servare jejunium quoad reliqua. *ib. n. 5.*

13. Obligatio jejunii potest per consuetudinem legitimam induci & auferri, Quilibet Christianus compos rationis, completo vigesimo primo anno tenetur servare jejunium ab Ecclesia præscripta & præcepta; neque potest quis per alium jejunare, quia obligatio jejunii est personalis; quamquam potest aliquis pro alio ita jejunare, ut satisfactio jejunii profit illi pro quo jejunavit. *ib. punct. 5. n. 2. & punct. 6. n. 1. & 2.*

14. Qui aliquo die jejunare non potest, non tenetur alio quid loco jejunii facere, vel alio die jejunare, nisi forte virtute alicujus privilegii transfulerit jejunium in alium diem, quo privilegio gaudere fratres Minores afferit Rodriq. *in summ. 1. part. cap. 23. n. 1. sub finem.* In jejunio debito exoptandum est intentioni votantis, qui legem sibi & obligationem imponit. *ib. punct. 6. n. 3. & 4.*

15. Religiosi non tenentur ad jejunia ab Episcopis instituta, vel per consuetudinem particularem introducta; sed ad recepta per consuetudinem generalem, quia consuetudo generalis omnes generaliter obligat, ergo etiam religiosi. *ib. n. 5.*

16. Viatores & adventæ, per se loquerido, non tenentur jejunii locorum per quæ transeunt, nisi decreverint eo loci majore anni parte commorari. *ib. n. 6.*

## Causa excusantes à jejunio.

17 Impotentia tam physica quam moralis excusat à jejunio Excusantur similiter infirmi & convalescentes, feminae gravidae, (hæ tamen non excusantur à carnibus; nisi forte sit vehemens appetitus) senes septuagenarii, imò & sexagenarii, quando valde debiles sunt; pauperes quoque non habentes alimentum sufficiens ad unicam refectioem excusantur & pueri, adolescentesque qui vigesimum primum annum nondum compleverunt, modo non sint religiosi professi; tenentur tamen à cibis vitæ abstinere. Item gravis labor excusat à jejunio, consequenter fabri ferrarii, vel lignarii, agricolæ, cæmentarii, extorres, pistores, futores excusantur à jejunio, dum serviliter laborant, etiam si necessitatem non habeant serviliter laborandi. Excusantur præterea longum iter pedestre, v.g. quindecim aut viginti miliarium suscipientes; secus dicendum de barbitonforibus, sartoribus pictoribus & scholaribus, qui ob laborem præcisè non excusantur. *ib. pur. ul. n. 1. & seq.*

18. Denique non tenetur ad jejunium, qui officio suo fungi non potest cum jejunio; & opera pietatis quæ cum jejunio præstari non possunt, excusant à jejunio. *ib. n. 13.*

19. Præterea à jejunio excusatur similiter uxor, quæ ob timorem prave valetudinis, aut deformitatis, vel metu viri non permittitur jejunare; Secus si non permittatur jejunare in contemptum Ecclesiæ, aut religionis; quia Ecclesia sicut non præsumitur velle impedire opera necessaria, ita neque opera debita. *ib. n. 14.*

20 Non excusatur à jejunio, qui magis vexatur tentationibus carnis jejunando, quam non jejunando; quia hujusmodi tentationes per accidens sequuntur: nec est malum vexari à tentationibus, sed vinci; vinci autem possunt aliis modis quam omissione jejunii. *ib. n. 15.*

21. Petes, an qui die jejunii complet vigesimum primum annum, teneatur eo die jejunare? Non tenetur, nondum completa hora, quæ complet vigesimum primum annum. Qui verò rationabiliter dubitat an expleverit vigesimum primum annum, non tenetur ad jejunium Ecclesiasticum; secus dicendum de eo qui dubiam habet non jejunandi causam, is enim tenetur jejunare, nisi dispensationem obtineat;

vel nisi dubium deponat consilio parochi, vel Confessarii  
vel alterius viri boni. *ib. n. 16. & 17.*

22. Denique qui jejunium bona fide non servat, putans  
justam non jejunandi causam habere, non peccat ut dictum  
est. *ib. n. 20.*

Vide v. *Peccatum.*

### A D D I T I O.

Natali Christi incidente in feriam sextam, non potest  
eo vesci carnibus voto, aut professione impeditus, nisi dis-  
pensetur. Potest autem dispensare, qui potest in voto, aut  
regula, etsi quidam id negant. *c. explicari de obser jejun. V. B.*  
*Medin. l. c. 14 §. 10. Nava. c. 21. n. 11. Azor. l. c. c. 2. q. 13. Cord.*  
*q. 169. Sylv. jejunium q. 10.*

Etiā Dominico die jejunare licet, ob devotionem; ce-  
vendum tamen scandalum. *Nav. l. c. n. 17. in fin. Bell. l. 6. Azor.*  
*l. c. cap. in fin. Med. q. 10. de jejun.*

Jejunium non violat potus aquæ, aut vini, etiam si quid  
datur, ne potus noceat, nec quæ sumuntur per modum me-  
dicinæ, vulgo electuaria, nec cibi prægustatio, ut sit à coenæ  
aut pincerna, nec jentaculum vespertinum pro more sum-  
ptum, vel ex causa sumptum manè, dilato in vesperum præ-  
dico, nec ova, aut lacticiuia extra Quadragesimam, ubi est  
consuetudo; nec si quid statim finito prædico parum e-  
rogatus, ut sit ab amico comedente, illud enim pars prædico  
censetur, nec si horam prædico ex causa prævenias, ut iter fac-  
cturus, aut propter hospitem. *Vid. l. c. n. 13. Nec jentaculum.*  
*Nav. l. c. vid. Carbon, de præcept Eccles. Beia, cas. 3. Azor. l. 7. c.*  
*8. dilato) Azor. l. c. c. 8. Nec ova; vid. Nav. l. c. n. 15.*

Tres aut quatuor panis uncia conceduntur pro jentacu-  
lo. *Azor. l. c.*

Puer ante usum rationis potest vesci carnibus die jejunii,  
quia non est legi subiectus. *Cord. cas. 6. Azor. l. c. n. 28. q. 3.*

Quadragesima, Quatuor tempora, vigilia Nativitatis  
Pentecostes, Assumptionis B Virginis, omnium Sanctorum,  
Apost. Petri & Pauli S. Joannis Apost. SS. Philippi & Jacobi  
S. Laurentii, sunt jejunia populo Christiano, sunt alia in  
quibusdam locis peculiaria.

Sine jejunio à carnibus, & lacticiiniis in Dominicis Qua-  
dra-

dragesimæ, non à lacticiis diebus Veneris, & Sabbathis per annum, abstinendum est.

Excusantur à legē jejunii morbo affecti, debiles, senes, gravidæ, & lactantes, quibus unica comestio non sufficit & vetiti cibi nocent.

Excusantur pauperes sufficiens prandium non habentes, & qui magnis laboribus operam dant, si labores, ratione officii vel in utilitatem Reip. vel ad damnum proprium, aut proximi temporale, seu spirituale vitandum suscipiantur. Sutores, & alii artifices corpus parum exercentes, non excusantur.

Excusantur piis operibus ex officio, vel obedientia operam dantes, ut Concionatores, lectores, confessarii, & alii, si utrumque præstare nequeant.

Cum ex voto suscipitur peregrinatio, quæ commodè in aliud tempus differri nequit, excusat à jejunio, quæ etiam ex magna devotione, si adsit confessarii consilium, & quæ ad damnum temporale fugiendum. Excusatur etiam vir uxori debitum reddere non potens, & uxor cœnans ad vitandas rixas cum viro, dum is in fidei contemptum non cogat illam ad violationem jejunii, tunc enim moriendum potius.

Habens causam dubiam excusantem petat declarationem à confessario, vel à docto viro, vel à medico, vel ab Episcopo. Medici tamen ne prodigi sint in hac re.

Pœnitentem bona fide putantem se habere justam causam non jejunandi, quæ iusta non sit, de mortali non damnet confessarius, nec à bona fide retrahat, sed hortetur, ut periculum jejunandi faciat.

## Ignorantia.

Ignorantia probabilis juris, vel facti excusat à pœna legis humanæ, interdum etiam eum non excusat à peccato, ut cum quis peccat, sed ignorat ob id positam à lege pœnam exigentem scientiam, tunc enim abest contemptus legis. De ignorantia, multa Azor. *l. c.* 12. 13. 14. & 15. vid. Tolet. *l. 1. c.* 7 n. 6. Nav. *c.* 23. n. 44 si sit iusta, non affectata, non crassa. *A peccato*) Nav. *l. c.* n. 46.

## Imago.

Imaginem Christi sculperè humi in lapide, sub gravissima pœna

pœna prohibetur. *l. unic. c. nem. l. c.* De imaginum sacra-  
cultu Azorium *l. 9. c. 6. mor. Instit. 1.* Honor imaginis trans-  
ad exemplar Brasil. in 6. Synod. vid. Bellar. *tit. 2. l. 6. 2. c. 20.*  
*Eccles. triumph.*

*Immunitas locorum sacrorum.*

Vid. v. *Sacrilegium.*

1. Immunitas Ecclesiastica quoad locum, est exemptio seu privilegium Ecclesiæ, seu Templo concessum, ut ibi existeres tuti sint à laica potestate; quamquam possunt extra locum sacrum ab illa obsideri, ut capiantur dum se recipiunt extra illum; impediri tamen non possunt ne ad illos deferantur ea quæ ad victum necessaria sunt. Imò immunitas existenti in Ecclesia adeo suffragatur, ut à laica potestate custodiri nequeat, donec declaretur an Ecclesiastica immunitate gaudeat. Adverte tamen immunitatem non sic prodesse confugiendi ad Ecclesiam, ita ut bonis quæ extra Ecclesiam possidet, spoliari non possit, quoties citatus à iudice ad comparandum, negligit comparere. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quest. 7. punct. 1. n. 1. & punct. 3. num. 1. & seq.*

2. Prælati Ecclesiarum aliquando possunt laicorum auxilium implorare, vel etiam clericorum opera uti ad tuendam Ecclesiam *ib. punct. 3. n. 3.*

3. Existens in Ecclesia ligari non potest auctoritate iudicis secularis, neque damnari ad pœnam, vel ad mortem corporalem; & si extrahatur, restituendus est Ecclesiæ eidem, vel alteri in qua æquè tutus esse possit, vel Episcopo. Et hoc valet, etiamsi extractus ipse jure suo sponte cedere velit. Neque iudex satisfacit dando cautionem de impunitate extracti ab Ecclesia, sed tenetur reum Ecclesiæ restituere, licet post extractionem patriverit delictum pertinens ad forum saculare. Denique actus, quo delinquens per vim extrahitur à loco sacro per iudicem sacularem juridicè nullus est, nec potest juridicè interrogari. *ib. n. 7. & seq.*

4. Dum satellites fatentur se aliquem cepisse in loco profano, reus vero asserit se captum in loco sacro, standum est iudicio prudentis iudicis, qui rem dijudicare debet ex conjecturis; ut si omnes satellites id affirmant, præsertim eorum



dux, si non ceperint accepto stipendio, si alii affirmant ipsum captum fuisse in loco profano, & hoc decidere pertinet ad iudicem Ecclesiasticum *ib. n. 15 & 16.*

5. Immunitas Ecclesiastica competit oratorio, aut Ecclesie auctoritate Episcopi fundatæ & consecratæ, præsertim si in ea divina officia celebrentur. Et hoc valet, etiamsi nondum sit benedicta, aut in ea nondum celebrata sint divina officia, aut etiamsi polluta aut interdicta sit, aut diruta. Ecclesia autem nomine venit tota Ecclesia fabrica, fines seu confinia illius usque ad quadraginta passus, & consequenter Parochorum, Canonorum, aliorumque Ecclesiasticorum domus existentes intra triginta passus propè; qui passus desumendi sunt à muro Ecclesie, & quilibet passus completitur mensuram quinque pedum, pes autem mensuram quindecim, vel sexdecim ad summum digitorum transversorum *ib. unct. 4. n. 1. & seq.*

6. Monasteria, domus religiosorum, palatium Episcopi, & domus Cardinalium saltem intra oratori ambicum (quamquam id non servari nunc in Urbe Roma multi asserunt) gaudent immunitate Ecclesiastica, *ib. n. 10. 11. & 12.*

Immunitas illi suffragatur, quem satellites insequerentur ad capiendum, sed reus fugiens in Ecclesiam se recepit, vel clausas Ecclesie januas, vel ferram, vel quid simile apprehendit, neque extrahi potest per eam pallii partem, quæ extra locum sacrum existit. At immunitas non suffragatur illi, qui jam captus ducitur per locum sacrum, neque illi qui se ipsum voluntarie offert iudici, & à loco sacro recedit. Item non violatur immunitas, dum capitur is qui semel aufugit à carceribus Ecclesiasticis, vel etiam secularibus, in quibus nomine Episcopi detinebatur, neque dum capitur extra locum sacrum is, quem iudex blanditiis aut promissionibus à loco sacro extraxit; violaretur tamen capiendolo eum, quem privatus extraxit è loco sacro, absque iudicis vel satellitum opera. *ib. n. 19. & seq.*

7. Sacerdos deferens Eucharistiam, in rigore loquendo, non gaudet immunitate locorum sacrorum; quamquam licite capi non potest ob reverentiam jure divino debitam corpori Christi, cui nulla res præferri debet. *ib. n. 27.*

8. Omnes fideles cujuscumque conditionis & ordinis, exceptis casibus in jure expressis, immunitatis privilegio gaudent. Et hoc valet, etiamsi fidelis sit interdictus, aut ex-

communicatus, aut clericus; is enim privilegio immunitatis gaudet in iis casibus, in quibus aliàs à laica potestate capi potest; potest tamen à ministris Ecclesiasticis extrahi à loco sacro in iis casibus, in quibus laici à laica potestate extrahi non possunt; quamquam multi Doctores oppositum sentiant. *ib. punct. 5. n. 1. & seq.*

9. Debitorum quoque in loco sacro existentes gaudent immunitate, sicut & fures etiam si famosi, item & raptores virginum, homicidæ, modo non occidant proditorie, vel in Ecclesia; sacrilegi aut perjuri, simoniaci, blasphemæ, sodomitæ, exules seu banniti, modo non commiserint delictum immunitate privans; item & adulteri gaudent immunitate; secus dicendum de latronibus publicis, seu iis qui violenter in itinibus publicis aggrediuntur & depradantur, de grassatoribus viarum, & depopulatoribus agrorum, seu iis qui diripiunt alienos agros, id est, qui segetes, seu fructus surripiunt, & agros aut vineas vastant. *ib. n. 6. & seq.*

10. Monetarum tonfores, & fures sine armis aut violentia surripientes, non videntur privari privilegio immunitatis, juxta constitutionem Gregorii XIV. quia non sunt publici latrones. *ib. punct. 6. § 1. n. 4.*

11. Homicidæ aut mutilatores in Ecclesiis, vel earum cœmeteriis, privantur immunitate. Amplia etiam si occidit, aut mutilat, sit extra Ecclesiam, & occidat pila plumbea, vel saxo; nam dicitur in Ecclesia delictum mutilationis, vel occisionis committere; secus dicendum de eo, qui dum est in Ecclesia, occidit aliquem extra Ecclesiam existentem. *ib. § 2. n. 1. & seq.*

12. Vulnerans lethaliter aliquem in Ecclesia; privatur immunitate, si vulneratus ob id moritur in Ecclesia, aut extra Ecclesiam; quia delictum homicidii censetur commissum in Ecclesia. Adverte tamen mutilantem, aut occidentem in Ecclesia non posse ob alia delicta in ea capi, nisi simul etiam capiatur ob delictum mutilationis, vel homicidii, nondum puniuntur; quia ob alia delicta non datur facultas extrahendi. *ib. n. 5. & 9.*

13. Mandans homicidium vel mutilationem in Ecclesia, non privatur immunitate, quidquid dicant alii in contrarium; quia nulla fit mentio mandantium, aut consulentium. *ib. n. 10.*

14. Proditorie occidentes proximum suum, privilegio im-

immunitatis carent, siue occiderint fustibus, siue ferro, siue veneno, siue alia ratione. Ille autem dicitur proditorie aliquem occidere, qui aliquem occidit id non praevidentem, seu qui aliquem occidit cum quo amicitiam simulabat, seu qui dolose aliquem seducit ut occidat: propterea immunitate caret is, qui occidit eum, cui se tamquam socium & amicum conjunxerat; secus dicendum de occidente inimicum jam sibi reconciliatum, si occidat ob novam causam: & de procurante abortum foetus animati; is enim juxta probabiliorem sententiam non caret immunitate etiam secuto abortu; sicut nec Medicus praebendo pharmacum infirmo, ex quo mors sequatur praeter intentionem. *ib. §. 3. n. 1. & seq.*

15. Occidens proditorie infidelem, non privatur immunitate, juxta nonnullorum sententiam, cum infidelis stridendo loquendo, non videatur noster proximus; quia nobiscum non communicat in fide, in sacramentis, & in Ecclesia. *ibid. num. 6.*

16. Assassini, seu ii qui pecunia aut alio pretio accepto vel promisso, conducti praevio mandato, occidunt homines incautos, & nihil tale ab eis praecogitantes, privantur immunitate, sicut & qui iis cooperantur. Hinc collige assassinum eum non vocari, qui sine pretio, vel ejus promissione aliquem occidit, neque eum qui adversarium occidit sociis pecunia conductis; nam hic non occidit incautum. *ibid. §. 4. num. 1. & seq.*

17. Judex aut testis privatur immunitate, si pecunia accepta in causa sit ut innocens ad mortem damnetur; quamvis multi non improbabiler contrarium astruant. *ibid. n. 8.*

18. Haereticus ob haeresim caret immunitate, sed non ob alia crimina distincta ab haeresi. Infideles quoque gaudent immunitate, saltem dum ex animo Baptismum petiverunt. *ibid. §. 1. num. 1. & seq.*

19. Rei criminis laesae majestatis in personam Principis, seu illius qui Superiorem in sua jurisdictione non agnoscit, privilegio immunitatis non gaudent. Tunc autem committitur crimen laesae majestatis, quando exercetur actio in damnum & offensam personae Principis, ut occidendo, vulnerando, hostiliter insequendo personam Principis, revelando hostibus secretum Principis, ut ab ipsis capiatur. Idem dicitur de consulentibus, auxiliantibus, favorem praestantibus, etiam effectum non secuto. *ibid. §. 6. n. 1. & seq.*

20. Prælati locorum tenentur delinquentes ad locos sacros confugientes tradere curiæ sæculari eos requirenti, modo constat de delicto privante immunitate. *ibid. punct. 7. num. 1.*

21. Antequam delinquens qui ad locum sacrum confugerat, curiæ sæculari tradatur, debet obtineri ab Episcopo, vel ab ejus officiali, seu Vicario generali, facultas expressè capiendi & extrahendi delinquentem: debetque præterea Episcopo constare de delicto, antequam concedat facultatem extrahendi. Neque tenetur Episcopus stare processui factò à laica potestate, dum quæritur utrum delinquenti gaudeat immunitate Ecclesiastica, tenetur tamen servare solemnitates juris; sed non exigere cautionem de vita delinquentis, quem foro sæculari tradit ob delictum privans immunitate, *ibid. num. 4. & seq.*

22. Violator immunitatis Ecclesiasticæ per extractionem delinquentis à loco sacro, peccat peccato sacrilegii, & peccato injustitiæ; consequenter qui per vim extraxit delinquentem, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde passus est delinquens. *ibid. punct. 8. n. 1.*

23. Immunitatem violans attentando aliquem capere, vel extrahere è loco sacro incurrit excommunicationem, etiam effectu non secuto. Idem dic de mandante, & de iudice nolente extractum ab Ecclesia restituere. Imò iudex in carcerem conjiciens aliquem per vim extractum à personis privatis, excommunicationem incurrit, etiam si ipse particeps non fuerit extractionis, *ibid. n. 9. n. 4. & seq.*

24. Episcopus alique Prælati extrahentes, vel extrahi mandantes aliquem non servata forma Bullæ Gregorii XIV. excommunicationem incurrunt, quoties auctoritate laica faciunt, seu quatenus sunt domini temporales. Quòd renuant laico iudici concedere facultatem extrahendi aliquem in loco sacro existentem, nullam quidem excommunicationem incurrunt; debent tamen extrahendi facultatem concedere, *ibid. nu. 11. & 12.*

25. Immunitatis violatores non servantes constitutionem Gregorii, non excusantur etiam in iis locis, in quibus delinquentes extrahebantur absq; debita licentia ante Gregorii constitutionem; imò hæc constitutio servanda est, etiam ubi non est acceptata, neque consuetudo contraria potest auferre privilegium immunitatis; sed sola ignorantia, excusat

excusat ab hac censura. *ibid. punct. 10. num. 1. & seq.*

26, Nullus Confessarius potest absolutionem à censura contracta ob violatam Ecclesie immunitatem, virtute aliqujus privilegii conferre. nisi facultatem ad hunc effectum obtinuerit post decretum Clementis VIII. Probabile tamen est, posse Episcopum absolvere, modò facta sit restitutio, & satisfactio à delinquente. *ibid. punct. 11. n. 1. & 2.*

### Impossibile.

Impossibile dicitur, quod non potest fieri justè, aut honestè aut comodè, vid. Syl. *ver. impossibila.*

### Impotentia.

Vide v. *Matrimonium.*

### Incestus.

Vide v. *Matrimonium.*

1. Incestus est congressus cum persona cognata intra gradus, in quibus non potest celebrari matrimonium, de quibus vide v. *Matrimonium.* Eò gravius est hoc peccatum, quo persona cum qua copula habetur, est magis conjuncta. *tom. 1. de iis, qua pertinent ad usum matrim. q. 4. punct. 16. n. 5.*

2. Omnes gradus & omnes incestus sunt ejusdem speciei, quidquid sentiant multi DD. in contrarium. Gradus incestus exprimendus est in confessione. *ibid. n. 6 & 7.*

3. Confessarius cognoscens carnaliter peccitentem, non committit incestum: modò Confessarius non sit proprius parochus à quo receptus sit Baptismus: committit tamen speciale peccatum parochus habens copulam cum sua parochiana: nam peccat contra proprium officium, vi cujus tenetur procurare salutem suorum parochianorum. *ibid. n. 10.*

4. Incestus commissus cum consanguinea uxoris duos saltem parit effectus; quippe ut ille qui committit incestum, non possit petere debitum à suo conjugè; utque post mortem uxoris non possit aliam ducere absque dispensatione. *ibid. num. 12.*

ADDI.

## A D D I T I O.

Gradus incestus, sive specie differant, ut vult Nav. *c. 11. n. 4.* Greg. de Valent. *tom. 3. qu. 9. disp. p. 3.* sive non ut Cajet. *2. 2. q. 254. art. 9.* Sot. *4. dist. 8. q. 2. art. 4.* Rodriq. *q. 1. c. 20.* in confessione explicandi sunt. vid. *Clav. Reg. lib. 8. c. 4. n. 3.*

Habere rem cum matre, & cum sorore, est incestus primi gradus, concubitus cum matre, pietati adversatur; ideo explicanda circumstantia, ni matris fama periclitetur; Rodriq. *l. c. num. 3.*

*Indulgentia & suffragia.*

Vide v. *Episcopus, Suffragium.*

1. Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus jam dimissis, concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationem thesauri Ecclesiastici. Indulgentia extendi potest ad remissionem peccatorum, non solum commissorum ante, verum etiam post ipsius confessionem, *tom. 1. de Indulgentiis disp. 6. quest. 1. punct. 1. n. 1. & 2.*

2. In operibus hominis justii meritum non communicatur aliis: satisfactio verò potest communicari, quando plus satisfecerunt quàm ipsi indigeant: vocanturque satisfactiones superabundantes. Tanta autem est copia harum satisfactionum superabundantium & thesauri Ecclesiæ, ut superet & superabundet pœnâs hominibus debitas: cum una gutta sanguinis Christi sufficiat ad delenda omnia peccata, & mirâ quâ per indulgências absumentur satisfactio Christi, *ib. n. 3. & 4.*

3. Thesaurus satisfactionum extitit etiam in veteri lege ante passionem, vel adventum Christi; [nam aliqui ante Christi adventum magnas & exuberantes satisfactiones præstiterunt, sicut aliqui testantur de Abel] usus tamen hujus thesauri non fuit in veteri lege; quia nondum aperta erat janua cæli, & Christus nondum contulerat facultatem distribuendi thesaurû, quam postea communicavit. Petro. *ibid. n. 6.*

4. Indulgentia dividitur in plenariam & temporalem, seu in eam, qua remittitur tota pœna simpliciter, vel in aliquo certo genere; & in eam, qua non remittitur tota pœna, sed tanta quanta in Bullis exprimitur. *ibid. punct. 2. num. 1.*

5. Quando in Bullis conceditur indulgentia septem annorum, sensus est hominem, qui consequitur talem indulgentiam, obtinere tantam pœnæ remissionem, quantam obtinisset, si tanto tempore pœnitentias juxta Canones egisset. Hac occasione observa non omnes eodem tempore in pur-

purgatorio commorari, sed aliquos diutius, cum levi pœna  
ibi commorari; aliquos brevius, sed cum majori cruciati  
& afflictione, habita ratione gravitatis delictorum. *ibidem*  
*num. 2. & 3.*

6. Ex dictis sequitur, quando alicui conceditur indul-  
gentia de pœnitentiis injunctis, tantam concedi pœnæ re-  
missionem, quanta respondet pœnitentiis taxatis à Confes-  
sario; & à sacris Canonibus pro talibus peccatis, *ibidem*  
*num. 4.*

7. Jubilæus non differt ab indulgentia plenaria & plenif-  
sima. *ibid. num. 5.*

8. Solus Summus Pontifex potest primariò concedere  
indulgentias; alii verò quatenus ipsis conceditur à Summo  
Pontifice, utpote Christi & Petri successore. Quare non po-  
test Episcopus primariò & ultra limites ipsi præscriptos in-  
dulgentias concedere: prædictæ tamen indulgentiæ non  
erunt irrita in totum, sed quoad excessum tantum. *ibidem.*  
*punct. 3. num. 1. & seq.*

9. Episcopi non possunt indulgentiam concedere pro  
mortuis; quia ipsorum facultas videtur à Sede Apostolica  
restricta ad subditos Episcoporum degentes in hac vita.  
*ibid. num. 5.*

10. Episcopus tantùm electus, & nondum consecratus,  
potest indulgentias concedere: quia concessio indulgentia-  
rum est actus jurisdictionis, qui potest exerceri ab Episco-  
po non consecrato. Idem dic à pari de Summo Pontifice,  
& Abbate electo, si nondum sit consecratus, *ibid. n. 6. & 7.*

11. Episcopus excommunicatus denunciatus non potest  
indulgentias concedere: nam caret uti jurisdictionis: secus  
dicendum si tantùm in peccato mortali existat. *ib. n. 8. & 9.*

12. Facultatem indulgentias concedendi potest Episco-  
pus non solùm suo Vicario, verùm etiam clerico deman-  
dare: hæc tamen potestas non potest ab Episcopo concedi  
laico, qui jure humano removetur à muneribus Ecclesia-  
sticis: posset tamen Summus Pontifex de plenitudine suæ  
potestatis delegare laico hanc facultatem concedendi indul-  
gentias. *ibid. n. 10, 11, 12. & 13.*

13. Episcopus potest religiosis indulgentias concedere,  
juxta suam facultatem: nam religiosis licitum est in hac par-  
te subicere se Episcopis. *ibid. n. 15.*

14. Episcopus potest gaudere & frui indulgentiis quas  
aliis

aliis concessit; cum non sit deterioris conditionis aliis: potestque sibi indulgentias immediatè concedere *ibid. n. 16.*

15. Abbas seu Superior religiosorum potest alios officii participes satisfactionum, & orationum quæ sunt in religione; quia Prælati possunt præcepto & intentione referre partem satisfactionis subditorum, conferendam illis quos ipsi designant: secus dicendum si satisfactio subditorum necessaria sit: nam tunc prælatus nequit eam in præjudicium spirituale sui subditi alteri applicare. *ibid. n. 19. & 21.*

16. Laici, clerici, aut etiam Cardinales non Episcopi, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante nequeunt indulgentias concedere, ut patet ex supradictis, *ib. n. 22. & 23.*

17. Parochus aut Abbas Episcopo inferior non possunt indulgentias concedere. *ibid. num. 25. & 26.*

18. Ad concedendas indulgentias necessaria est causa rationabilis, quæ contineri potest in quolibet actu pio externo, vel interno; ex quo aliqua Ecclesiæ utilitas & gloria derivata redundet. Potest tamen Summus Pontifex aliquando indulgentias absolutè concedere, nullum opus requirendo: ut si defuncto optimè de Ecclesiâ merito indulgentiam concedat, ut alios hoc pacto trahat ad consimilia merita. *ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

19. Quando dubitatur an Summus Pontifex justam habuerit causam concedendi indulgentias, censendus est justam habuisse causam. *ibid. n. 7.*

20. Necessè est ut susceptor indulgentiarum sit homo fidelis, viator, in gratia existens. Hinc exclude infideles nondum baptizatos, & etiam baptizatos, hæreticos, & apostatas. *ibid. punct. 5. n. 1. & 2.*

21. Susceptor indulgentiarum non debet necessariò esse in gratia per confessionem, sed sufficit ut existat per contritionem, modò in Bulla non exprimaturs confessio: nam tunc necessaria est confessio, saltem quando susceptor commisit aliquod peccatum mortale post confessionem. secus dicendum si habeat tantum peccata venialia, existatque in gratia. Non est ita statuendum de communione; nam communio requiritur tamquam conditio ad consequendam indulgentiam. *ibid. num. 5. & seq.*

22. Non tenetur iterum confiteri ut consequatur indulgentiam, qui tempore Jubilæi confessus est, sed postea committit peccatum antequam cetera in Jubilæo præscripta adimpleat.



impleat: sed sufficit, ut de illo peccato commisso contritionis actum eliciat *ibid. nu. 9.*

23. Non est necesse ut præstans opera præscripta ad consequendam indulgentiam, sit in gratia toto tempore quo singula opera præstat; sed sufficit ut sit in gratia, dum facit ultimum opus, quo posito conceditur indulgentia: hinc jejunans in peccato, obtinet indulgentiam, si in fine diei peccati remissionem obtineat. *ibid. n. 10. & 11.*

24. Qui præstitit omnia opera, vel saltem ultimum opus in peccato mortali, non consequitur indulgentiam remoto peccato per pœnitentiã, quia in concessione indulgentiæ non dicitur quod recedente fictione seu peccato obtineatur. *ibid. num. 13.*

25. Necesse est, ut qui suscepturus est indulgentiam, præstet ea quæ præscripta sunt à Superiore in concessione indulgentiæ; quia Superior concedit indulgentiã sub conditione talis operis, quo non adimpleto, non obtinetur indulgentia: ita ut qui faceret eleemosynam solum ob vanam gloriã, non consequeretur indulgentiam concessam facienti eleemosynam, cujus dationis finis debet esse honestus. *ibid. n. 14. & 15.*

26. Adolescens qui nondum pervenit ad vigesimũ primũ annũ, nondumq; ex præcepto Ecclesiæ tenetur ad jejunium, non consequitur Jubilæum, nisi jejuset, quoties in Jubilæo præscribitur jejunium licet tamen erit extra Quadragesimã vesci ovis & lacticiiniis, juxta locorũ consuetudinẽ. *ib. n. 16.*

27. Prætermittentes confessionem, vel aliud opus etiam ob justam causam, tempore Jubilæi, non consequuntur Jubilæum. *ibid. n. 17.*

28. Si eleemosyna danda præcipiatur in Jubilæo, pro qualibet parva eleemosyna obtinetur indulgentia, nisi exprimat in Bulla: *pro cuiuslibet facultate. ibid. n. 18.*

29. Tam consequitur indulgentiam parvum iter faciens pro ea lucranda, quàm qui magnum peragit; quia facit id quod est injunctum *ibid. num. 19.*

30. Qui partem injuncti operis præstitit aliis omissis, non consequitur indulgentiam, nec in totum nec in partem, nisi aliter exprimat in bulla; secus dicendum de eo qui levem tantummodo partem operis injuncti prætermittit: nam parum pro nihilo reputatur *ibid. n. 20. & 21.*

31. Præcipiens famulo ut daret eleemosynam, non consequitur indulgentiam, famulo eleemosynam non impendente:

dente:

dente. similiter non obtinetur indulgentia inchoato, sed non completo opere præscripto. *ibid.* 22 & 23.

23. Qui cupit indulgentiam consequi, debet opus præscriptum per se ipsum adimplere: talis enim est mens & intentio concedentis. *ibid.* n. 24.

33. Cupiens præterea indulgentiam obtinere concessam visitantibus quinque altaria, non tenetur singula accedere, sed sufficit ut ex eodem loco oret versus quinque altaria. Sicuti & qui orat ante fores Ecclesiæ, obtinet indulgentiam, si Ecclesiam ingredi nequeat. *ibid.* n. 25. & 26.

34. Prætermittens aliquem actum quem credebatur probabiliter non esse necessarium, non consequitur indulgentiam, si talis actus re ipsa necessarius est ad lucrandam indulgentiam. *ibid.* n. 27.

35. Indulgentia obtineri potest per opus internum, si concedens velit fieri opus aliquod internum. *ibid.* n. 28.

36. Quæres: an uno & eodem actu, seu eadem oratione consequi possimus indulgentias diversis viis concessas. Resp. standum esse intentioni concedentis indulgentias, a quo pender concessio indulgentiæ. *ibid.* n. 29.

37. Qui plura habet grana benedicta cum privilegio eisdem indulgentiæ, lucratur indulgentiam, ad quam consequendam suam determinavit intentionem. *ibidem.* numer. 30.

38. Potest quis uno & eodem tempore diversis actibus consequi plures indulgentias, quoties unus actus non impedit alium, sed uterque simul subsistere potest: similiter potest aliquis sæpius eodem die consequi indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam tali die, modo indulgentia concessa sit absque temporis determinatione & absolute. Ratio est, quia qui præstat opus præscriptum ad consequendam indulgentiam, illam consequitur. *ibid.* n. 31. & 32.

39. Qui non est consecutus indulgentiam propter aliquem actum, potest iterum actum præscriptum facere ad eam consequendam, modo tempus nondum sit elapsum. *ibid.* n. 33.

40. An volens Jubilæum obtinere, debeat omnia opera præscripta una eadem hebdomada præstare, controversatur inter Doctores. Non opus esse major pars assentit. *ibid.* num. 34.

41. Qui legitime fuit impeditus primis duabus hebdomadis, potest Jubilæum consequi transactis duabus hebdomadis.

madis, servata tamen formula à Summo Pontifice in Jubileo præscripta. *ibid. num. 36.*

*Indulgentia pro defunctis.*

42. Datur purgatorium in quo animæ detinentur, donec persolverint pœnas peccatis debitas, pro quibus in hac vita non præstitere satisfactionem; ita enim postulat ratio divinæ justitiæ, quæ vult ut aliquis non evolet ad cœlum cum obligatione ad pœnam. *ibid. punct. 6. n. 1.*

43. Animæ duplicem pœnam patiuntur, scilicet pœnam damni, quæ consistit in privatione visionis Dei, & est præcipua; & pœnam sensus, tum quatenus tristantur animæ ob carenciam divinæ visionis, tum quatenus vero igne torquentur; quod qua ratione fiat, an quatenus animæ involuntariè alligatæ sunt ad ignem, an per qualitatem ipsis disconvenientem, & doloris causativam productam in illis per ignem, non est hujus loci examinare. *ibid. n. 2. & 3.*

44. Indulgentiæ quamvis plenariæ concessæ à Summo Pontifice pro defunctis, profunt defunctis per modum suffragii, non per modum judicii & auctoritatis, modò applicentur defunctis in gratia existentibus. Inferiores Summo Pontifice non possunt indulgentias plenarias pro defunctis concedere, ut paulò ante ostendi. *ibid. n. 4. & 5.*

45. Indulgentiæ profunt defunctis, concessæ non per modum judicii & auctoritatis, sed per modum suffragii, id est, per modum auxilii & adjutorii Ecclesiastici illis applicati, juxta intentionem ipsius applicantis. Observa tamen, quando Papa concedit indulgentiam pro omnibus fidelibus, non comprehendit defunctos; hinc collige animabus in purgatorio existentibus non applicari indulgentias directè, sicut applicantur viatoribus, sed per modum suffragii; damnatis verò nullo modo prodesse, quia in inferno nulla est redemptio: sicuti nec etiam beatis; beati enim nullam habent obligationem ad pœnam, pro qua satisfaciendum sit per indulgentias. *ibid. n. 6. & seqq.*

46. Ut defunctus fruatur indulgentiis, debet esse in gratia; cum non possit remitti pœna, nondum remissa culpa; qui verò facit opus ad consequendam indulgentiam pro defuncto, non est necesse ut sit in gratia; facit enim opus, quo posito Summus Pontifex applicat defuncto indulgentiam.

id est, satisfactionem Christi & Sanctorum. *Ibid. num. 11.*

47. Homo in hac vita degens, potest alteri homini ad viventi indulgentiam lucrari; si hoc in Bulla exprimat. *Ibid. num. 12.*

48. Quando in concessione indulgentiæ habentur hæc verba: *Qui hoc fecerit, tantam indulgentiam consequatur* non potest alius applicari: nam valet tantum, quantum sonat: & ob eandem rationem indulgentia pro defuncto accepta, tantum illi prodest, quantum prodesset accipienti eam pro se ipso accepisset. *Ibid. n. 13. & 14.*

49. Indulgentiæ etiam plenariæ pro uno & eodem defuncto multoties accipi consueverunt, quia fieri potest, si defectus intercesserit, vel ex parte concessionis indulgentiæ vel ex parte accipientis indulgentiam: præterea fieri potest, ut Deus non acceptarit indulgentiam. *Ibid. n. 15.*

50. Animæ in purgatorio existentes, certiores fiunt, & cognoscunt per angelos custodes indulgentias, & suffragia illi applicari, memoresque existunt beneficii accepti orando Deum pro applicantibus. *Ibid. num. 16.*

51. Moriens, accepta indulgentia plenaria statim in cælum evolat absque dilatione & mora. *Ibid. punct. 7. n. 2.*

52. Concessio indulgentiæ quando constat de potestate concedentis, latè explicanda est, quantum verborum sententia patitur: est enim favor & privilegium Principis Ecclesiæ, quod latam interpretationem admittit. *Ibid. n. 4.*

53. Indulgentiæ tamdiu durant, quamdiu concedens eas voluerit durare, & non ultra. Unde collige indulgentiam absolute & simpliciter concessam, per se loquendo, perpetuò durare: cum enim Superior non limitet, non est cur limitemus; consequenter non expirat morte concedentis. *Ibid. punct. 8. n. 1. & 2.*

54. Indulgentiæ concessæ alicui loco absque limitatione temporis, tamdiu durant, quamdiu durat locus. *Ibid. n. 4.*

55. Similiter indulgentia quæ alicui templo directe fuit concessa, & non ipsi situi seu solo, adhuc perseverat, si templum debita auctoritate aliò transferatur. *Ibid. n. 5.*

56. Non solum concedens, verum etiam ipsius successor in dignitate, potest indulgentias ab antecessore concessas revocare: nam successor reputatur moraliter una persona cum concedente, cum succedat cum eadem auctoritate. *Ibid. n. 7.*

57. Si Summus Pontifex indulgentiam revocet, indulgentia non statim extinguitur, antequam revocatio perveniat ad aures eorum, quibus concessa fuerat *Ibid. n. 8.*

58. Cessante causa propter quam concessa fuit indulgentia, non cessat indulgentia; quia indulgentia perpetua concedi potest ob causam temporalem; ergo indulgentia non cessat cessante causa. *Ibid. n. 9.*

59. Indulgentia pro mortis articulo concessa, non cessat, si semel obtineatur, valetque pro quolibet mortis articulo. *Ibid. num. 11.*

60. Indulgentia concessa una tantum vice pro mortis articulo, percipi solum potest in vero mortis articulo: si tamen in concessione indulgentiae praescribatur ministerium Confessarii: huiusmodi indulgentia accipi potest non solum in vero, verum etiam in praesumpto & probabili mortis articulo. *Ibid. num. 12.*

61. Habens facultatem eligendi Confessarium, qui vigente indulgentiae potest illum absolvere, capax est indulgentiae & absolutionis, etiam si sensibus destituatur. *Ibid. n. 13.*

62. Non est praescripta certa & determinata verborum forma ad concedendam indulgentiam in articulo mortis, aut alia occasione. *Ibid. n. 14.*

## Suffragium.

63. Fideles, dum in hac vita degunt, non solum possunt se invicem juvare suffragiis; verum etiam adjuvare possunt defunctos satisfaciendo pro poena ipsis debita. *tom. I. de Suffragiis, disp. 6 q. 2 punct. 1 n. 1.*

64. Suffragia quae a fidelibus in hac vita fiunt pro defunctis, non profunt ea offerentibus, quatenus sunt satisfactoria (cum ea alteri applicentur,) sed profunt quatenus meritoria. *Ibid. n. 2.*

65. Satisfactio non habet effectum infallibilem in eo, cui applicatur; quia non satis nobis constat Deum infallibiliter acceptare satisfactiones pro aliis. *Ibid. n. 3.*

66. Ut suffragium pro sit alteri debet offerens habere intentionem offerendi pro eo cui prodest. Debet praeterea a ope fieri ab homine viatore in hac vita exstente, & quidem voluntarie: ob id enim satisfactio differt a satisfactione. *Ibid. punct. 2. num. 2. seq.*

67. His

V 2

67. His adde, ut opus satisfactorium ex opere operato factum ab aliquo in persona propria pro sit alteri ad satisfactionem, requiri ut operans sit in gratia, prodest tamen etiam ex opere operato. Denique opus debet esse bonum, scilicet ratione intentionis, sive sit opus internum, sive externum. *Ibid. num. 5 & 6.*

68. Nomine *Ecclesia* censetur quis orare, quando preces & orationes institutas ab *Ecclesia* recitat ut minister deputatus ad hoc ex præcepto, vel ordinatione. *Ibid. n. 7.*

69. Opus quod ab uno mandatur, & ab altero adimpletur, non est satisfactorium, dum uterque existit in peccato mortali: valet tamen, si præcipiens sit in gratia, & exequens in peccato mortali; modò exequens non sit causa proxima illius operis. *Ibid. n. 8, & 9.*

70. Quando opera fiunt per alium tamquam per instrumentum, sunt satisfactoria, quamvis ille qui ea facit, sit in peccato mortali. *Ibid. n. 10.*

71. Qui ex injuncta pœnitentia, seu alio titulo tenetur suffragium applicare defuncto, debet iterum opus præstare, si semel cum peccato præstitit; & illud non offert nomine *Ecclesie*, sed applicat in persona propria. *Ibid. n. 11.*

72. Is ex cujus parte suffragium offertur, debet indigere suffragio, esse in gratia, & habuisse remissionem culpæ, pro qua exhibetur satisfactio. Defectu harum conditionum, vel unius illarum tantum, suffragia applicata non indigent, non profunt: neque beatis, neque damnatis, aut pueris mortuis cum solo originali; neque esistenti in peccato mortali, etiam peccato postea remisso. *Ibid. punct. 3. n. 1 & seqq.*

73. Satisfactiones applicatæ existenti in peccato mortali convertuntur in utilitatem offerentis, si iis indigeat. *Ib. n. 6.*

74. Non est necesse, ut ille pro quo satisfactio exhibetur, acceptet satisfactionem, & cognoscat eam pro se exhiberi: offeruntur enim ex praxi *Ecclesie* suffragia pro amicis absentibus & ignorantibus sibi suffragia offerri. *Ibid. n. 11.*

75. Peccata pro quibus exhibetur satisfactio, debent esse deleta quoad culpam; neque prodest hujusmodi satisfactio pro futuro tempore, quia non constat eam acceptari à Deo pro futuro tempore. *Ibid. n. 10.*

## A D D I T I O.

Indulgentia data pro mortis articulo accepta semel, expirat,

pirat, nisi aliud constet de intentione concedentis, vid Fum.  
ver Indulgentia. num. 2.

Cum dicitur, ut visitentur aliquot in Ecclesia altaria, sufficit in ea, ad illa se orando convertere ex eodem loco.

Cum datur indulgentia visitanti tali die Ecclesiam, semel tantum illo die dari intelligitur. Quod si est perpetua, aut per multos dies, ut in Jubilæi anno, toties, quoties.

Toto tempore Jubilæi potest quis absolvi à reservatis, si talis potestas per Jubilæum conceditur.

Si quis durante Jubilæo cœpit confessionem, quam oportet differri longius, potest tunc absolvi à reservatis, & commutari in votis; postea verò ab omnibus absolvi, etiam quæ oblitus est. reservatis.

Prædicare indulgentias indiscretas, id est, non juridicas, aut non verisimiles, mortale est.

Reservatum crimen patrans, spe Jubilæi, potest per Jubilæum absolvi. Navar. not. 34 n. 4 & 6. Cord. q. 37. de indulg. Bellar. l. c. 10. contra D. Ant. p. 1. tit. 10. c. 3.

Omnia injuncta non perficiens, etiam si sit morbo, aut inopia impeditus, non lucratur indulgentias, Bellarm. l. c. 13. D. Thom. Dur. 4. q. 10.

## Infamia.

Infamia facti fit crimine notorio, vel opinione multorum virorum proborum, non sufficit autem rumor sparsus, & creditus apud aliquos, nec si sit ortus ab inimicis, nec si quis in judicio sit confessus pro condemnato, nec si per procuratorem litigans condemnetur. Tollitur verò per factum contrarium.

Repellit autem, dum durat, à dignitate, à judicando, (non autem ab arbitrando) procurando, testificando in causa criminali, accusando, postulando, & ab ordinis susceptione, aut beneficii. Vid. Sylv. ver. infamia, cap. 1. Fum. eod. 1. Tolle. tur. Syl. l. c. 7.

Infamia juris fit sententia definitiva super crimine publico, aut quibusdam privatis, ut furto, usura, sacrilegio, incestu, homicidio, perjurio, adulterio: & aliquando ipso facto, ut si quis in adulterio deprehendatur, aut duas habeat uxores, aut sponsas. Quidam tamen ajunt semper requiri sententiam. Tollitur autem per principem non agnoscentē superiorem, vid. Syl. n. 8. & 9. l. c.

Infamia juris tollit ordinis executionem, & dignitatis exercitium & honorem, & repellit à beneficii & ordinis possessione. Dispensat autem Papa, & in quibusdam Episcopis vid. Syl. l. c. n. 15. Fum. n. 4.

Infamis Jure Civili regulariter est etiam infamis Jure Canonico, Syl. l. c. num. 11.

Ob crimen læsæ majestatis infames fiunt, etiam filii & nepotes. Infamia ex delicto proprio, aut parentum, tollitur baptismo.

Non potest famæ restitutionem remittere is, per cuius infamiam Respub. læditur, si tamen remittat, liberatur infamator, ab obligatione justitiæ *Non potest*) Sot. lib. 4. q. 6. artic. 3. P. N. l. c. num. 123. dicit prælatum famam remittere non peccare contra justitiam. In quibusdam casibus non valere remissionem tradit Navar. cap. 18. num. 46. D. Ant. p. tit. 2. c. 1. §. 3. Tol. l. 5. c. 68. Sot. l. c.

*Infans.*

Infans quis dicitur usque ad septimum annum inclusive. Vid. gl. c. 4. de temp. ord. lib. 6.

*Infidelis.*

Infidelibus etiam ex causa necessitatis, aut utilitatis vendere, aut dare ea, quæ ad cultum infidelitatis præcisè inferviunt, mortale est. Cajet 2. 2 q. 169. art. 2. Mol disputatio. 34. n. 34. & tradere eis libros sacros comburendos etiam timore mortis, mortale est, secundum D. August. ep. 164. c. 174.

*Infirmus.*

Non tenetur æger migrare in civitatem salubriorem, aut emere valdè pretiosum pharmacum, sufficit enim uti remediis communibus. Potest & medicinam recusare ob animæ utilitatem, ubi non est mortis periculum.

Potest & scœmina ob amorem pudicitiae, nolle medico pudenda ostendere, etiam cum ad sanitatem videtur necessarium. *Emere valdè*) Lopez p. 1. c. 41. in fin. *Potest*) Lopez l. c.



Ingratitudo.

Ingratitudo ex contemptu magni beneficii, grave est peccatum, quod pauci reputant.

Injuria.

Non tenetur quis remittere debitam sibi pro injuria satisfactionem; nec verò potest, si est subditus alteri, ut uxor, filius, religiosus. Potest verò collegium regulare, factam religioso injuriam, remittere ipso etiam reclamante, secus est de seculari, ut Canonorum, Syl. ver. injuria n. 7.

Injuriam repellere licet, etiam percutiendo, si id opus sit ad necessariam defensionem, post acceptam tamen injuriam, non licet repercutere ad vitandam ignominiam, D. Thom. & Cajet. 2. 2. q. 108. art. 1. vid. Syl. l. c. num. 6. Fum. ver. eod. num. 5.

Non facit injuriam, qui ut aliquem à testimonio ferendo, aut beneficio consequendo, repellat, vocat verè furem, aut homicidam, cum animo denuntiandi, aut accusandi, utitur enim jure suo, dummodo id non ex odio, & coram iudice comperente faciat, & crimen non sit occultum, sed probari possit, Fum. l. c. num. 3.

Derisio ob contemptum gravior est contumelia, hæc autem gravior detractio. Hæc Ema Sa in aphorif.

Interdictum.

1. Interdictum est Ecclesiastica censura, qua homo separatur à perceptione quorundam sacramentorum, à divinis officiis, & à sepultura Ecclesiastica. Triplex est interdictum: locale, quo directè interdicatur locus: personale, quo prohibetur populus vel aliqua persona particularis audire divina officia: mixtum, quo interdicatur locus & persona, 20. 1. de Interdicto, disp. s. punct. 1. n. 1. & 2.

2. Hæc tria interdicta sic inter se sunt diversa, ut interdicta Ecclesia, sacerdotes possint in alia Ecclesia persolvere divina officia. Ibid. n. 2. & 3.

3. Interdictum quo interdicatur aliqua parochia alicujus oppidi, vel civitatis, in qua sunt aliæ parochiæ, non est gene-

generale, sed speciale; quia generale interdictum est, quando interdicatur regnum, provincia, diocesis, civitas. Similiter non est interdictum generale quando interdicuntur Ecclesie cujuscumque loci, cum non remaneant interdicta omnia loca. *Ibid. num. 7. & 8.*

4. Interdictum provincie, vel civitatis est interdictum locale generale; consequenter sub hujusmodi interdictis comprehenduntur omnes Ecclesie etiam Cathedrales & Metropolitanæ. *Ibid. num. 9.*

5. Interdicta diocesi, non censentur interdicta civitati, nisi clarius exprimat. *Ibid. num. 11.*

6. Interdictum personale generale illud est, quo interdicatur generaliter populus totius regni, vel provincie, vel civitatis, &c. speciale verò quo interdicatur pars populi, & communitatis, v. g. academia aliqua, vel Collegium, vel pars oppidi. *Ibid. num. 12. & 13.*

7. Interdicto clero non censentur interdicti religiosi, quia religiosi in odiosis non veniunt nomine cleri. Item interdicto populo non est interdictus clerus, & è contra, contra multos; verum interdicta familia, interdicti censentur clerici & alii ejusdem familie, & interdictis Doctoribus, censentur etiam interdicti clerici Doctores. *Ibid. n. 14. & seqq.*

8. Interdicto populo civitatis non sunt interdicti qui habitant in suburbis, si illi non sint de populo istius civitatis. *Ibid. n. 18.*

9. Homines communitatis interdictæ, qui absunt, ligantur interdicto, cum sint pars communitatis interdictæ: in interdicto populo, non intelliguntur interdicti exteri alterius civitatis, quamvis ad longum tempus ibi habitent, ut sunt scholares, &c. *Ibid. num. 19. & 20.*

10. Interdicta communitate non censentur interdicti amentes, vel pueri carentes usu rationis, cum non sint dolis & culpæ capaces. *Ibid. n. 21.*

11. Interdictum personale generale intelligitur de singularibus personis, quia non interdicatur communitas abstractè sumpta, frustra que ferretur interdictum, si singulæ personæ adhuc possent divinis interesse. *Ibid. num. 22.*

12. Interdicta civitate, sunt etiam interdicta suburbia, id est, ædificia quæ sunt extra muros illius civitatis, vel illis contigua, vel vicina, ad quæ possit populus confluere ad audienda divina; & hoc valet etiam si illa loca sint alterius domini,

mini, aut diocesis; quia alioqui parvi penderetur interdictum; propterea etiam, interdicta aliqua civitate per interdictum locale generale, censentur etiam interdicta religionum Ecclesiarum, quae alias sunt exemptae, tenenturque religioni huiusmodi interdictum servare, nec possunt uti privilegiis sibi concessis ante Concil. Trident. *Ib. n. 23. & seq.*

13. Interdicta Ecclesia, intelliguntur etiam interdicta capellae & coemeterium, quia sunt unum corpus cum Ecclesia. *Ibid. num. 26.*

14. Interdictum latum generaliter contra terras alicujus Principis, cadit in omnes terras ejusdem Principis, quas possidet tempore lati interdicti, quia verba generalia sunt generaliter intelligenda. *Ibid. num. 27.*

15. Judex qui aliquem locum interdixit, tenetur abstinere ab officiis persolvendis in eo loco quem interdixit, quod si interdictum sit personale, non includitur ipse in tali interdicto, non enim potest seipsum interdicere. *Ibid. num. 28.*

#### Causa interdicti.

16. Causa efficiens interdicti, à qua scilicet interdictum fieri potest, est illa eadem quae potest alias censuras ferre: par enim est omnium ratio. *Ibid. punct. 2. num. 1.*

17. Papa potest interdictum ferre; Episcopus etiam nunc sine consensu Capituli; Prælati religionum (si loquamur de interdicto personali,) & Capitulum Sede vacante. *Ib. n. 2.*

18. Subiectum interdicti personalis sunt homines, in quos jurisdictionem externam spiritualem exercere potest is qui fert interdictum. *Ibid. num. 3.*

19. Causa materialis interdicti est culpa, quia interdictum est poena spiritualis, poena autem supponit culpam. *Ibid. num. 5.*

20. Causa finalis interdicti est resipiscentia & emendatio delinquentis. *Ibid. num. 6.*

#### Effectus interdicti.

21. Tres nunc sunt effectus interdicti: privatio aliquorum sacramentorum, privatio divinatorum officiorum, & privatio sepulturae Ecclesiasticae; jure antiquo plures erant effectus. *Ibid. punct. 3. n. 1. & 2.*

V 5

22. Tem-

22. Tempore interdicti localis sive generalis, sive particularis, administrari possunt quibuscumque parvulis & adultis, infirmis, aut sanis sacramenta Baptismi, & Confirmationis cum solita solemnitate *Ibid. §. 1. num. 1.*

23. Interdicta aliqua Ecclesia parochiali, non tenetur parochus aliam Ecclesiam, vel parochiam vicinam non interdictam adire, ut ibi baptizet, quia illius parochia quoad hoc non est interdicta, & interdictæ personæ interdicto personaliter generali licitum est ministrare Baptismum etiam solemniter. *Ibid. nu. 3. & 5.*

24. Interdictus personaliter interdicto personali generali potest recipere sacramentum Confirmationis, & etiam ministrare si causam non dedit interdicto: secus dicendum si specialiter sit interdictus. *Ibid. n. 4. & 6.*

25. Licitum est tempore interdicti localis cum solita solemnitate, & coram interdicto ministrare Eucharistiam, solum per modum viatici solis morientibus, id est, existentibus in probabili periculo mortis proveniente ex infirmitate, vel ex causa extrinseca; quo periculo vel privilegio concluso, non est licitum recipere Eucharistiam in loco interdicto. *Ibid. n. 2. n. 1. & seq.*

26. Quilibet Sacerdos, qui sublato interdicto habet ius administrandi sacramentum Eucharistiæ, potest illud administrare tempore interdicti in articulo mortis, modo ipse non dederit causam interdicto, vel sit ligatus speciali interdicto. *Ibid. num. 10.*

27. Nullus potest, neque tenetur in Paschate adimplendum præceptum annuæ communionis recipere sacramentum Eucharistiæ tempore interdicti localis generalis. *Ibid. n. 11.*

28. Jure novo in cap. *Alma mater*, licitum est ministrare sacramentum poenitentiae tempore interdicti, cuicumque interdicto, tam sano, quam infirmo, modo recipiens non sit excommunicatus, & non fuerit aliquo modo in causa culpabili, ob quam laicum est interdictum; & quilibet Confessarius, qui similiter non dedit causam culpabilem interdicto locali, potest hoc poenitentiae sacramentum administrare: secus dicendum de sacramento ordinis, quod non potest administrari personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis. *Ibid. §. 3. n. 1. & seq.*

29. Nulli personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, vel particularis ministrandum est sacra-

mentum extremæ unctionis; nisi aliquibus permiffum fit ex speciali privilegio. *Ibid. n. 4.*

30. Non est licitum personis interdictis, aut tempore interdicti localis, contrahere matrimonium, nisi forte contrarium receptum fit per consuetudinem; quamvis etiam probabile sit contrarium, & jure novolicitæ sunt benedictiones quæ fiunt super conjugatos, modò fiant januis clausis, sine solemnitate, &c. *Ibid. n. 8. & 9.*

*Secundus effectus interdicti, id est, privatio divinorum officiorum.*

31. Nomine divini officii, quod prohibetur tempore interdicti, intelligitur id, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico, seu à persona consecrata, vel deputata ad illud officium; propterea horæ Canonice & sacramentalia, seu ceremoniæ sacræ, sunt officium divinum; non autem officia, quæ non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam, *Ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

32. Clericus tempore interdicti non eximitur ab obligatione officii divini privatim recitandi. *Ibid. num. 5.*

33. Tempore interdicti localis generalis prohibitum est celebrare Missas, & divina officia publicè (non autem secretò) in loco interdicto, uti sono organorum & campanarum pro officio, licitum est tamen uti sono campanarum pro AVE MARIA, concione, &c. aut etiam aliis de causis. *Ibid. num. 6.*

34. Dum tempore interdicti celebratur in capella aliqua ipsius Ecclesiæ, claudendæ sunt etiam januæ Ecclesiæ, saltem dum capella ita occludi non potest, ut officia non audiantur. *Ibid. num. 7.*

35. Quando tempore interdicti campanæ adhiberi non possunt, adhibenda est tabula cum mæraca, vel tuba. *Ibid. n. 9.*

36. Tempore interdicti generalis licitum non est extra Ecclesiam & monasterium celebrare divina officia secretò & servata moderatione, sed solum permittitur peragere divina officia in Ecclesiis & monasteriis, non vero alibi, nisi fortè etiam in hospitalibus erectis auctoritate Episcoporum: nam hæc in favorabilibus veniunt nomine Ecclesiæ. *Ibid. n. 10. & seq.*

37. Dantur aliquæ festivitates, v. g. Natalis Domini, Paschæ,

schæ. Pentecostes, Assumptionis & Conceptionis beati-  
 mæ Virginis Mariæ, & Corporis Christi cum Octava,  
 quibus licitum est tempore interdicti localis generalis,  
 verò specialis, celebrare Missas, & divina officia publice  
 solemniter cum sono campanarum januis apertis, alta  
 ce, admissis interdictis, etiam illis quorum causa latum  
 interdictum, modò isti longè absint ab altari, id est non  
 mittantur ad oblationes, vel ad communionem. Hæ festi-  
 vitates incipiunt à primis vespèribus vigiliæ, usque ad coram-  
 pletorium ipsius solemnitatis; durantque non tantum primo  
 die, sed & aliis: neque prohibetur etiam Ecclesiastica sepul-  
 tura his festivitatibus. *Ibid. n. 14. & seq.*

38. Aliquæ personæ, ut amentes, &c. possunt admitti  
 divina officia tempore interdicti localis generalis, & alique  
 non. *Ibid. num. 20.*

39. Habens privilegium persolvendi, vel audiendi divina  
 officia, potest simul cum sua familia divinis interesse, mo-  
 dò inter eos non adsit aliquis qui dederit causam culpabi-  
 lem interdicto. Unde infertur Sacerdotem posse secum ad-  
 ducere suum famulum tempore interdicti localis generalis,  
 eoque uti in sacrificio Missæ. Idem dic de cæteris familiaribus  
 assistentibus divinis officiis tempore interdicti, quatenus  
 sunt in famulatu suorum dominorum. *Ibid. n. 23. & seq.*

40. Aliquis non interdictus potest Missam Sacerdotis in-  
 terdicti audire, modò non inducat eum ad celebrandum.  
*Ibid. num. 26.*

*Tertius effectus, id est, privatio Ecclesiastica sepulchra.*

41. Interdictum tam locale, quàm personale, generale,  
 aut speciale, simpliciter latum absque ulla restrictione, pri-  
 vat Ecclesiastica sepultura personas interdictas, & locum  
 ipsum interdictum. *Ibid. punct. 3. n. 1.*

42. Qui non est personaliter interdictus, potest sepeliri in  
 loco sacro non interdicto, aut aliò transferri, modò non ac-  
 cidit causam culpabilem interdicto. *Ibid. n. 4. & 5.*

43. Laici tempore interdicti sepeliri possunt in campo,  
 vel in cœmeterio ab Episcopo deputato, non tamen bene-  
 dicto: hæc enim non dicitur Ecclesiastica sepultura, pote-  
 runt tamen sepeliri in loco sacro, qui habent privilegium  
 assistendi divinis officiis. *Ibid. n. 5. & 6.*

44. Sepultus tempore interdicti in loco non sacro, sublato interdicto exhumandus est & sepeliendus in loco sacro. *Ibid. num. 8.*

45. Interdictus ab ingressu Ecclesie non potest in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri, nisi forte dederit signa contritionis. *Ibid. num. 11.*

46. Interdictus ab ingressu Ecclesie potest recipere sacramenta in Ecclesia, quando non celebrantur divina officia, quia non est privatus usu sacramentorum, sed usu divinorum officiorum, & sepulturæ. *Ibid. num. 12.*

47. Interdictus non privatur exercitio jurisdictionis exterioris; consequenter interdictus, etiam nominatim denunciatus, potest excommunicare, absolvere, &c. & à fortiori, is qui non est interdictus, potest tempore interdicti excommunicare & absolvere ab excommunicatione, etiam cum solemnitate, & indulgentias quoque concedere, imò & lucrari, si sit in gratia, & præstet requisita ad eas consequendas. *Ibid. punct. 6. n. 1. & seq.*

*Pœna violantium interdictum.*

48. Laici violantes interdictum locale generale, vel speciale, mortaliter peccant ex suo genere. *Ib. punct. 7. n. 1.* Item

49. Clerici tam sæculares, quam regulares, violantes interdictum tam locale, quàm personale, & tã generale quam speciale, peccant mortaliter ex suo genere; faciunt enim contra prohibitionem Ecclesie in re gravi, nisi eos metus gravis excuset. Et clerici scienter violantes interdictum per exercitium alicujus ordinis sacri incurrunt irregularitatem; imò possunt per sententiam privari beneficiis, aliisque pœnis affici. Dicitur *per exercitium ordinis sacri*, quia clericus violans interdictum per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, non incurrit irregularitatem, dum illam actionem facit ut laicus. *Ib. n. 3. 4. & 8.*

50. Celebrans coram interdicto, non incurrit irregularitatem, cum hujusmodi irregularitas non extet in jure. *Ib. n. 18.*

51. Communicans cum interdicto in rebus humanis non peccat: nam interdictum prohibet tantum officia divina, sacramenta & sepulturam. *Ibid. num. 20.*

Similiter non peccat, qui communicat cum interdicto non denunciato nominativè. Is autem dicitur nominativè de-

denuntiatus, qui exprimitur nomine proprio, vel nomine officii, vel alio signo manifestante talem personam in particulari, *Ibid. num. 21. & 22.*

*Interdictum quibus casibus incurrat.*

52. Interdictum locale incurritur, quando dominus regni, vel alterius loci impedit, ne Legatus vel Nuntius Summi Pontificis suo fungatur officio; aut quando dominus alius territorii percutit injuriosè Episcopum, aut capitulum, bannit, aut mandat hæc fieri; tunc enim illius territorium subiacet interdicto usque ad condignam satisfactionem; civitas verò illa remanet privata Pontificali, & dignitate; quod idem procedit in civitate, quæ aliquem Episcopum in viam detinet, vel Cardinales insequitur, aut hæc fieri mandat. Item quæ exigit ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis gaudia, pedagia, &c. de rebus quas asportant non causa negotiationis *Ibid. punct. 8. num. 1. & 2.*

53. Præfatum interdictum quoque incurritur, dum dominus vel rector civitatis in qua moritur Papa, non præstitit præscripta in cap. ubi periculum. Item dum Episcopus & alii inferiores Ecclesiastici remanent per mensem in excommunicatione, ob culpam quam admisissent in concedendo domo manifestis usurariis ad fœnus exercendum. Item quando clerici regulares, vel sæculares inducunt aliquem ad vendendum, vel promittendum, ut in eorum Ecclesia eligat sepulturam, vel semel electam non immutet; modò bonafides non excuset. *Ibid. num. 4. & seq.*

54. Interdictum personale generale incurritur, quando universitas concedit repræfalias, vel pignorationes, aut imponit decimas, vel taleas contra personas Ecclesiasticas, aut eorum bona; aut quando aliorum concessionem non revocet intra mensem. Idem interdictum incurritur, dum universitas, vel Capitula, &c. appellant à sententiis Summi Pontificis ad futurum generale Concilium, aut ad hoc, consilium favoremve præbent. Imò in hoc casu lata est etiam excommunicatio. Similiter quando Capitulum Sede vacante litteras dimissorias infra annum à die vacationis absque necessitate concedit. *Ibid. num. 7. & seq.*

55. Dantes causam culpabilem interdicto locali generali personaliter interdiciuntur. Item Capitulum & universitas



non servans constitutionem Joannis XXII circa beneficiorum vacantium fructus. Item universitas permittens usurarios alienigenas. *Ibid. num. 11. & 12.*

56. Interdictum speciale personale ab ingressu Ecclesiæ, incurrit qui recipit Abbatiam, vel aliam dignitatem Ecclesiasticam de manu laici. Item Prælati qui sibi aliquid usurpant ex rebus dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum sibi subditarum Similiter Sacerdos admittens publicè interdictum ad divina officia. Inferior Episcopo ferens censuram sine scriptura, aut sine competente monitione vel expressione causæ præfatum etiam interdictum contrahit. *Ibid. n. 14. & 19.*

57. Episcopus in visitatione aliquid quod sibi non debetur accipiens eodem interdicto ligatur. Item violans interdictum locale, saltem generale. *Ibid. num. 18. & 19.*

58. Judices Ecclesiastici, qui officiales Romanæ Curie, aut alios Romanam Curiam pro suis negotiis sectantes, suis beneficiis privant, & ea conferunt aliis, præter interdictum, suspensionem & excommunicationem incurrunt. Episcopi verb hoc idem facientes incurrunt solum excommunicationem. *Ibid. num. 20.*

59. Edentes commentaria in Tridentinum, remanent interdicti ab ingressu Ecclesiæ. *Ibid. num. 21.*

60. Metropolitanus non deferens intra tres menses per litteras vel nuntium Summo Pontifici suffraganeum ultra annum non residentem, præfato interdicto ligatur, & è contra. *Ibid. num. 22.*

61. An autem clerici in crimine fornicationis perseverantes huic interdicto subjaceant, diximus v. *suspensio. lb. n. 23.*

62. Denique Cardinales, vel Prælati recipientes beneficia, vel pensiones cum simonia confidentiali, huic etiam interdicto subjacent. *Ibid. num. 25.*

*Relaxatio ab interdicto.*

63. Interdictum latum ad tempus, aut sub conditione elapso tempore, vel adimpleta conditione cessat; interdictum vero latum absolute, auferendum est per absolutionem ab eo qui tulit, aut ab ejus superiore. Interdictum locale non cessat destructione, aut refectione ædificiorum loci interdicti, cum solum ipsum censeatur etiam interdictum. *Ibid. punct. ult. num. 1. & 2.*

64. In-

64. Interdictum potest auferri vel suspendi ab eo qui  
 lit interdictum in totum, aut quoad aliquos effectus immu-  
 diatos, quia censura ligat ad nutum & voluntatem con-  
 toris. *Ibid. num. 4.*

65. Episcopus potest absolvere ab interdicto locali po-  
 to à jure; non autem si interdictum sit personale publicum  
 aut latum à Papa tamquam ab homine *Ibid. num. 5.*

66. Parochus vel alius Confessarius potest jure commu-  
 ni absolvere ab interdicto personali, particulari non rele-  
 vato. Ita *cap. nuper de sent. excomm. ibid. n. 6.*

67. Interdictum adnexum excommunicationi reservatum  
 non idcirco est reservatum; quia materia odiosa non est am-  
 plianda. *Ibid. num. 7.*

68. Interdictum non censetur sublatum ex eo quòd non  
 servetur ab eo qui illud tulit. *Ibid. num. 8.*

69. Absolutio interdicti dari potest ad cautelam, excepto  
 interdicto locali generali. *Ibid. num. 9.*

70. Papa potest auferre interdictum per solam volunta-  
 tem interioriorem, quia censura non ligat ultra voluntatem le-  
 gislatoris: Episcopus verò non potest auferre censuram per  
 solam voluntatem, argumento *cap. 1. de regul. jur. nam. ipse*  
*est subjectus juri communi. Ibid. num. 10.*

## Invidia.

Vide v. *Charitas.*

## Irregularitas, Irregularis.

Vide v. *Censura.*

1. Fœmina non potest dici irregularis, cum ipsa non sit ca-  
 pax ordinum: similiter neque infidelis, qui nondum recepit  
 Baptismum, cum non baptizatus sit incapax ordinum, &  
 consequenter irregularitatis. *tom. 1. de Irregularitate, disp. 7.*  
*quest. 1 num. 3 & 4.*

2. Irregularitas est canonicum impedimentum ex facto,  
 vel defectu proveniens, quod directè impedit susceptionem  
 ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum usum, ob reverentiam  
 divini orium. *Ibid. punct. 1 num. 1.*

3. Irregularitas est duplex Una dicitur ex defectu, vel in-  
 de-

dentia quæ provenit absque culpa: altera dicitur ex facto, seu delicto, ut ex homicidio. Irregularitatis ex defectu, & ex delicto species.

Irregularitas ex defectu dicitur	}	ex defectu animi.
		ex defectu corporis.
		ex defectu natalium.
		ex defectu ætatis & libertatis.
Irregularitas ex delicto dicitur	}	ex defectu sacramenti, id est, bigamia.
		ex defectu lenitatis, id est, ex homicidio licite patrato <i>ibid. n. 6 &amp; 7.</i>
		ex iteratione Baptismi.
		ex indebita susceptione, vel usu ordinis.
	}	ex actu infidelitatis, aut hæresis.
		ex infamia.
		ex homicidio illicitè patrato. <i>ibid.</i>

*Irregularitatis causa.*

4. Causa efficiens sunt sacri canones, seu potius Summus Pontifex, qui irregularitatem induxit, eamque per sacros canones expressit; propterea Episcopus aut alii Summo Pontifice inferiores, non possunt irregularitates ferre, cum ad ipsos non pertineat jus commune ferre; negandum tamen non est, quin Papa possit irregularitatem per sententiam, seu ab homine ferre. *ibid. punct. 2. n. 1. & 2.*

5. Nulla est admittenda irregularitas ob solam auctoritatem Doctorum de consuetudine testantium: neque incurritur ob æquale, simile, vel majus delictum: quia nulla datur irregularitas quæ non sit in jure expressa. *ib. n. 3. & 4.*

6. Causa materialis, seu potius subjectiva in quam cadit irregularitas, est omnis homo, capax ordinis, subditus jurî communi; hinc exclude infidelem aut feminam, cum non habeant capacitatem ad ordines. *ibid. n. 6. & 7.*

7. Causa formalis irregularitatis sunt verba irregularitatem exprimentia, v. g. *numquam ordinetur, ad clericatum non promovetur, ad sacros ordines aspirare non audeat, &c.* hinc patet differentia irregularitatis à suspensione, quod irregularitas directe privat susceptione clericatus & ordinum; suspensio vero privat usu & exercitio ipsorum ordinum. *ibid. nu. 10. & seq.*

8. Ad irregularitatem ex delicto incurrendam requiritur culpa mortalis; nec videtur probabile eam posse ferri

pro peccato veniali: præterea requiritur actus externus consummatus, neque sufficit desiderium, vel attentatio, quamvis Ecclesia possit ob solam attentionem delicti irregularitatem inducere. *ibid. punct. 2. n. 1, 2, 5 & 6*

9. Irregularitas ex delicto non incurritur interveniente ignorantia probabili; sicut enim hujusmodi ignorantia excusat à culpa, ita etiam à pœna. *ibid. n. 4.*

10. Actus internus non sufficit ad incurrendam irregularitatem, actus enim internus non subjacet potestati Ecclesiæ. *ibid. num. 7.*

#### *Irregularitatis effectus.*

11. Irregularitas impedit non solum susceptionem ordinum & primæ tonsuræ, sed etiam exercitium & functionem omnium susceptorum, quando irregularitas est totalis, ut inquit Doctores. *ibid. punct. 4. n. 1. & 2.*

12. Irregularis, suscipiendo vel exercendo ordines, novam irregularitatem, vel aliam pœnam non incurrit, peccat tamen mortaliter; quamvis non prohibetur eos actus exercere, qui per laicum præstari possunt. *ibid. n. 4 & 5.*

13. Irregularitas licet occulta, facit hominem incapax beneficii, consequenter irregularis invalidè recipit beneficium collationem; nec illud potest retinere, nisi obtenta dispensatione irregularitatis curaverit beneficium sibi de novo conferri ab eo, qui potest illud conferre; neque recipiens beneficium in irregularitate, habet jus ad fructus percipiendos, vel ad alios actus beneficii exercendos. *ibid. n. 6. & 7.*

14. Irregularitas non privat beneficio ante irregularitatem obtento; consequenter beneficiarius qui incidit in irregularitatem post beneficii consecutionem, potest resignare beneficium in favorem alterius; adhuc enim habet titulum & jus: nec tenetur restituere fructus beneficii, si muneri suo satisfecit per se, vel saltem per alium. *ibid. n. 8. 9 & 10.*

15. Irregularis ob homicidium, privandus est beneficio, non autem pensione, cum pensio non veniat in jure nomine beneficii. Similiter irregularis videtur incapax jurisdictionis ordinariæ, non vero delegatæ, cum ea non fundetur in beneficio, nec conferatur ratione beneficii. *ibid. n. 11. & seq.*

16. In dubio juris nullus judicandus est irregularis; propterea qui dubitat utrum lata sit irregularitas, ex gr. contra

contra surripientes, &c. si adhibita sufficienti diligentia ad rei veritatem investigandam, adhuc persistit in dubio, potest practicè dubium deponere, iudicando non esse latam irregularitatem, consequenter non tenetur se tamquam irregularem gerere: censetur enim laborare ignorantia invincibili. *ibid. punct. 5 n. 2.*

17. Qui habet dubium facti homicidii, iudicandus est irregularis, juxta *cap. significasti*. propterea qui consulit homicidium, tenetur se tamquam irregularem gerere, quando dubitat, utrum suo consilio operatus sit aliquid circa homicidium patratum ab eo, cui dedit consilium; quia possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum; quamquam dubius facti homicidii non videatur privandus beneficio, aut aliis penis afficiendus in foro externo. *ibid. nu. 3. & seq.*

*Irregularitas ex defectu animæ, & corporis.*

18. Defectus usus rationis, litteraturæ, & fidei inducit irregularitatem, quia qui non potest ordines exercere, inhabilis est ad ordines suscipiendos, & consequenter est irregularis, sed carentes usu rationis, &c. non possunt ordines exercere; ergo, &c. *ibid. q. 2. punct. 1. n. 1. & 2.*

19. Qualis autem scientia requiratur ad ordines suscipiendos, patet ex Trident. *sess. 23 cap. 4.* videlicet ac primam tonsuram requiritur ut initiandus sit confirmatus, & calleat rudimenta fidei, sciatque legere ac scribere: ad minores ordines, ut teneat linguam Latinam: ad Diaconatum & Subdiaconatum, ut habeat instructionem eorum quæ pertinent ad eos ordines exercendos: ad presbyteratum, ut habeat eam scientiam, qua possit docere populum, & administrare sacramenta: ad Episcopatum, ut sit Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel in jure Canonico, &c. *ibid. n. 3.*

20. Neophyti, seu ii qui ex lege Judaica, Mahumetica, vel Ethnica nuper conversi sunt ad fidem Christianam in adulta ætate, sunt irregulares. Dispensatio cum neophyto ad ordines, vel beneficia, pertinet ad Sum. Pontificem. *ibid. num. 4. & seq.*

21. Ille defectus seu vitium corporis inducit irregularitatem, quod vel impedit usum, & exercitium ordinis, vel notabiliter gignit deformitatem, aut horrorem; quale vitium

est nasi amputatio, aut privatio unius oculi, aut insignis macula in oculo, quæ notabilem pariat deformitatem; secus dicendum de eo qui caret lumine & visu oculi dextri, modo habeat utrumque oculum integrum, nec sit notabilis horror vel deformitas. *ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

22. Ille est irregularis qui habet unum oculum grandævum, seu grossiorem altero, vel utrumque ita prominentem, ut magnam inducat deformitatem. Idem dic de habente labia penitus corrosa, vel abscissa, vel nasum tam magnum, aut ita distortum, ut notabilem pariat deformitatem iudicio Episcopi: de surdo utraque aure, & de carente auriculis, id est, externa illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret, si huiusmodi deformitas capillorum velamine celari non possit: de gibboso, qui ita deformis est & debilis: ut se erigere aut stare recto capite nequeat. Propterea monstruosus quoque, id est habens duo capita, quatuor manus, &c. est irregularis; hermaphroditus, quando scilicet particeps est masculini & feminini sexus. *ibid. n. 4. & seq.*

23. Habens sex digitos, non videtur irregularis, quoties digitus superfluous non impedit usum aliorum digitorum. Item, nec Æthiops, eò quod non soleat horrorem parere, neque habens crura distorta; secus dicendum de carente aliquo pede: hic enim dicitur carere membro patente, & hoc verum est, etiamsi is habeat pedem ligneum, vel baculum quo accedat ad altare; est enim magna indecentia ita accedere. *ibid. n. 11. 14. & 15.*

24. Laborantes febris continua, aut infirmitate, quæ reddit ineptum ad exercitium ordinum, sunt irregulares; secus si febris sit quartana, aut levis, quæ non impediatur celebrationem Missæ: laborantes quoque gravi dolore capitis, quamdiu periculum subeunt celebrando, sunt irregulares. Item, laborantes morbo Gallico, qui foris appareat cum horrore, aut lepra, vel multa scabie manuum usum impediente; aut peste, vel tussi, quæ conjunctum habeat periculum in suspicienda Eucharistia; aut laborantes morbo caduco; amentes, & furiosi habitualiter (secus dicendum de patientibus levem mentis alienationem, aut vertiginem.) Item, dæmoniacci, vel qui se dæmoniacos simularunt, sunt etiam irregulares. *ibid. num. 16. & seq.*

25. Defectus corporis non idem operatur, quando advenit ante susceptionem ordinum, ac quando subsequitur ordines

dines susceptos: nam abstemius v.g. potest uti sacerdotio, excepta celebratione, si suscepto sacerdotio fiat abstemius; secus dicendum, si ante susceptum sacerdotium erat abstemius; nunc enim non potest ad sacerdotium admitti, dubitaturque an possit Summus Pontifex cum abstemio dispensare, ut promoveatur ad sacerdotium *ibid. n. 25. & seq.*

26. Habens corporis defectum impediens usum sacerdotalem, non potest ad reliquos ordines promoveri, cum alii ordines ad sacerdotium dirigantur, *ibid. n. 28.*

27. Carentia alicujus membri, vel partis membri etiam occulti, si propria culpa contingat, inducit irregularitatem, quamvis ea membri privatio non impediatur usum ordinis, neque notabilem afferat deformitatem: unde qui sibi virilia amputavit, vel permisit amputari absque justa causa, v.g. causa cantus, irregularis est; secus dicendum de eo qui per infirmitatem ea amisit, aut aliud membrum, modo non amiserit in poenam delicti, *ibid. n. 29 & seq.*

28. Qui sponte sibi membrum vel membri partem, ex. gr. digitum, vel partem digiti ex indignatione vel impatientia abscidit, irregularis; est enim savitia in seipsum, *ibidem num. 35.*

29. Ad Summum Pontificem pertinet dispensare in irregularitate proveniente ex defectu, vel ex deformitate, vel ex infirmitate, nisi forte conjuncta sit cum impedimento juris naturalis. *ibid. nu. 36.*

*Irregularitas ex defectu natalium.*

30. Illegitimus, seu is qui non est ortus ex legitimo matrimonio, est irregularis, quamvis sit occultus. Quando matrimonium est invalidum ob impedimentum occultum, filii censentur legitimi. Idem dicendum de filiis infidelium, & postea conversorum; nisi eorum matrimonium esset invalidum propter impedimentum juris naturæ. Filius non tenetur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, nisi rationibus convincatur. *ibid. punct. 3 n. 2. & seq.*

31. Illegitimus fit legitimus per subsequens matrimonium & consequenter liberatur ab irregularitate, & fit idoneus ad ordines, excepto Cardinalatu. Nec refert quod matrimonium contrahatur post aliud cum alia celebratum, si parentes erant habiles ad contrahendum tempore conceptionis filii. *ibid. n. 6. & 7.*

32. Proles suscepta ex propria uxore post factam professionem, non est legitima, quia matrimonium fuit dissolutum per professionem. *ibid n. 9.*

33. Filius expositus, probabiliter præsumendus est illegitimus, quia in obscuris inspicitur quod verosimilius est. *ibid num 10.*

33. Quando pater factus est sacerdos de consensu, vel abque consensu suæ uxoris, sed postea uxorem carnaliter cognovit, ex eaque prolem suscepit, tunc proles inde suscepta censetur canonice illegitima & irregularis. *ibid n. 11.*

35. Illegitimus peccat mortaliter recipiendo ordines absque dispensatione, non tamen incurrit novam poenam. *ibid num. 12 & 13.*

36 Irregularitas proveniens ex illegimitate, tribus modis auferri potest, per legitimationem, sive hæc fiat beneficio juris Canonici, sive ab homine; per professionem, & per dispensationem, quæ non videtur posse concedi ab Episcopo, nisi ad minores ordines. *ibid n. 14.*

*Irregularitas ex defectu ætatis.*

37. Defectus legitimæ ætatis requisitæ ad ordines, inducit irregularitatem, quamdiu defectus durat, vel donec Papa dispense. *ibid. punct. 4. n. 1.*

38. Defectus libertatis inducit irregularitatem in personis sequentibus, ita ut non admittantur ad ordines: in conjugatis, juxta v. *matrimonium*; in mancipiis omnino destitutis libertate: in obligatis ad ratiocinia, seu in iis qui obligati sunt ad reddendam rationem administrationis publicæ vel privatæ; secus dicendum de iis qui præstiterint securitatem solvendi debitum, aut curam pauperum susceperunt; in tabellionibus, Advocatis, & iudicibus qui causas civiles aut causas criminales agunt, si iudicium sanguinis exercuerunt. *ibid. num. 2. & seq.*

*Irregularitas ex defectu sacramenti.*

Vide v. *Bigamia.*

*Irregularitas ex infamia.*

39. Infamia est publica opinio prava de vita & moribus alicujus.



alicujus. Infamia alia est juris, alia facti. *ibid. quest. 3 punct. 1.*  
num. 1. & 2.

Infamia juris contingit, quando delinquens crimen suum confessus est in iudicio, aut per definitivam sententiam iudicis, aut quando committitur delictum, cui imposita est à jure Canonico vel civili pœna infamiæ; quale delictum est apostasia à fide, raptus mulierum, sodomia, &c. Ad incurrendam hanc infamiam requiritur sententia iudicis. declaratoria *ibid. num. 2.*

40. Infamia facti ex delicto contingit, quando committitur delictum quod infame censetur apud graves & honestos viros, quod delictum debet esse publicum, seu notum majori parti viciniæ. *ibid. num. 3.*

41. Infamia juris facit hominem irregularem, & inhabilem ad ordines suscipiendos, & exercendos susceptos. *ibid. num. 4.*

42. Infamia facti proveniens ex delicto, facit hominem irregularem & inhabilem ad recipiendos ordines, quamdiu delinquens non fuerit emendatus. *ibid. num. 5.*

43. Infamia quatuor modis auferri potest: per emendationem, per dispensationem, per Baptisma, & per Summum Pontificem. *ibid. num. 6.*

44. Infamis in uno loco remanet infamis in omni loco, & sic non potest in ullo loco ordines aut beneficia recipere, antequam deleta fuerit infamia. *ibid. num. 10.*

44. Non solum per infamiam juris inducitur irregularitas, verum etiam per ignominiosam professionem alicujus artis, quæ reddit hominem vilem & indignum, qualis est ars histrionis, mimi, &c. *ibid. num. 12.*

46. Filius proditoris Principis, vel ejus qui manus violentas in Cardinalem injecit, infamis est, consequenter irregularis Item & filius hæretici. *ibid. num. 13.*

*Irregularitas ex pœnitentia publica.*

47. Pœnitentia sacramentalis vel publica, non solemnis, olim non inducebat, nec modò inducit irregularitatem, cum non sit in jure expressa: pœnitentia verò publica & solemnis inducebat irregularitatem, & impediēbat susceptionem ordinum & usum susceptorum: sed dicendum nunc nullam pœnitentiam publicam vel solemnem, hoc tempore inducere

ducere irregularitatem, nisi sit talis poenitentis, quæ ad  
 Etiam habeat infamiam, *ibid. punct. 2. n. 2. & seq.*

*Irregularitas ex culpabili iteratione sacramentorum.*

48. Ex culpabili iteratione Baptismi publica, vel etiam  
 occulta contrahitur irregularitas; consequenter tam rebap-  
 ptizans cum peccato mortali; quam rebaptizatus fit irre-  
 gularis: imò toties incurrit irregularitatem, quoties reiterat  
 Baptismum. quare rebaptizans & rebaptizatus ex ignora-  
 tia juris vel facti, non est irregularis; neque ille tenetur re-  
 gerere ut irregularem, qui postquam inquisivit an alter esset  
 baptizatus, illum rebaptizavit absolute & sine conditione,  
 sed adhuc postea dubitat an esset baptizatus. *ibid. punct. 3.  
 num. 1. & seq.*

49. Ex iteratione Confirmationis & ordinis non contra-  
 hitur irregularitas. *ibid. num. 8.*

50. In irregularitate quæ contrahitur ex iteratione Bap-  
 tismi publica vel occulta, Summus Pontifex dispensare po-  
 test: nam ipse dispensare potest in jure communi: Episcopus  
 verò non potest dispensare in rebaptizatione publica absque  
 facultate sibi à Superiore concessa. *ibid. n. 9.*

51. Incurritur irregularitas ab eo qui differt Baptismum  
 usque ad ægritudinem vel senectutem, quia non videtur si-  
 dem voluntariè suscipere, sed coactè, neque tollitur hæc ir-  
 regularitas per Baptismum, cum incurratur ob ipsam Bap-  
 tismi susceptionem dilatam *ibid. num. 11. & 12.*

52. Adultus baptizatus ab hæretico, est irregularis, non  
 autem infans, etiamsi postea grandior approbaverit Bap-  
 tismum collatum ab hæretico. *ibid. num. 13.*

*Irregularitas ex susceptione & exercitio ordinum illicito.*

53. Ligatus majori excommunicatione recipiendo scien-  
 ter, vel cum ignorantia crassa, vel affectata ordines sacros,  
 incurrit irregularitatem, quamvis multi contrarium sen-  
 tiant *ibid. punct. 4. num. 1.*

54. Qui uno & eodem die inscio, & non advertente  
 Episcopo, recepit minores ordines cum Subdiaconatu, vel  
 ultimum minorum cum Subdiaconatu, vel duos ordines  
 sacros, incurrit irregularitatem, vel potius suspensionem; &  
 18

In hac irregularitate dispensat Episcopus solum quando delictum est occultum. *ibid. num. 3. & 4.*

55. Recipiens ordines per saltum, non est irregularis, sed est suspensus, cum hæc irregularitas non sit in jure expressa: ille tamen est irregularis, qui furtivè, id est, nesciente Episcopo, nec approbante, nec examinante ordinem recepit; dispensatio competit Episcopo, quamdiu delictum est occultum. *ibid. num. 5. & seq.*

56. Recipiens ordines sine confirmatione, non est irregularis. *ibid. nu. 8.*

57. Vir conjugatus illicitè recipiens ordinem sacrum, non solum est suspensus, sed etiam irregularis. Similiter recipiens ordines sacros ab Episcopo, qui renuntiavit dignitati, seu jurisdictioni, incurrit irregularitatem, vel saltem suspensionem, etiamsi recipiens fortè ob ignorantiam non peccaverit. *ibid. num. 9. & 10.*

58. Ligatus majori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiamsi sit occultus & toleratus, incurrit irregularitatem exercendo solemniter vel ex officio actus majoris ordinis, v. g. celebrando, canendo Epistolam solemniter vel canendo in choro, ut hebdomadarius, baptizando solemniter; &c. nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantia, vel inadvertentia, vel oblivionis. *ibid. punct. 5. n. 1. 3. & seqq.*

59. Ligatus duplici censura duplicem incurrit irregularitatem, exercendo ordines sacros; nam violat duplicem censuram specie diversam. *ibid. n. 10.*

60. Irregularitate contracta ob violationem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti per exercitium ordinum solus Papa dispensat, quando delictum est publicum; & Episcopus quoque, quando est occultum ex privilegio Trident. *sess. 24. cap. 7. ibid. num. 11.*

61. Clericus qui ministrat in ordinae sacro, quem non habet, incurrit irregularitatem, modo licenter, & serio, & ex officio ministret; unde clericus nondum initiatus sacerdotio, qui aliquem surio & sacramentaliter absolvit, est irregularis. Idem dic de clerico per saltum promotò exercente functiones ordinis prætermissi. *ibid. punct. 6. n. 1. 2. & 8.*

62. Tunc aliquis dicitur actum aliquem ordinis exercere solemniter & ex officio, quando actus talis est, ut ab alio non possit exerceri quàm ab eo, qui talem ordinem habet;

quandò verò potest eodem modo ab alio exerceri, non dicitur exerceri solemniter & ex officio. *Ibid. num. 9.*

63. In irregularitate quam quis contraxit exercendo ordines quos non habebat, solus Summus Pontifex dispensat, ne accedat ad superiores ordines, nam ad ipsum pertinet dispensare in jure communi, & ad Episcopum, modò delictum sit occultum. *Ibid. n. 10.*

*Irregularitas ex delicto hæresis.*

64. Hæretici, apostatæ à fide vel religione, eorum fautores & defensores, sunt irregulares, etiam si sint occulti; secus dicendum de eo qui exterius hæresim profert, si interius bene sentiat. *Ibid. punct. 7. n. 1 & 2.*

65. Qui pactum ineunt cum dæmone, aut ipsum colunt absque hæresi, non sunt reverà irregulares ex hoc capite, sed ahundè, scilicet ex infamia consurgente ex suspitione hæresis. *Ibid. n. 4.*

66. Ille est irregularis, qui cogitur abjurare hæresim probatam in judicio, vel qui lapsus est in hæresim; secus dicendum de schismatico, cum hæc irregularitas non habeatur in jure. *Ibid. n. 5. & seq.*

67. Filii hæreticorum mortuorum in delicto hæresis, sunt irregulares usque ad secundam generationem per lineam virilem, paternam; per lineam verò maternam, sunt irregulares usque ad primam, *cap. statutum, 2. de hæret.* non videtur tamen filius hæretici esse irregularis, si natus sit ante lapsum parentis in hæresim; sicut nec filii neophytorum, aut descendantium ex Judæis, vel pagans, qui Christiani novi nuncupantur. *Ibid. n. 6. & seq.*

68. In irregularitate ob hæresim contracta solus Summus Pontifex dispensat, etiam si hæresis sit occulta, nam absolutio hæresis hoc tempore est reservata Summo Pontifici: non est tamen improbabilis sententia afferentium clericum conversum ab hæresi posse circa usum ordinumceptorum dispensari ab Episcopo, usque ad Diaconatum inclusivè: imò & Episcopum posse habere dispensandi non solum circa usum ordinumceptorum, verum etiam circa susceptionem ipsorum ordinum etiam per Vicarium, quoad delictum est occultum, ut tenet Trident. *sess. 14. cap. 6. de reformatione. Ibid. num. 12. & seq.*

69 Religiosi egredientes claustrum ad audiendas leges vel medicinam, nisi redierint intra duos menses irregularitatem videntur contrahere, *cap. super specula. lb. n. 17.*

Sunt qui multas alias admittant irregularitates, sed gratis eas contingunt, cum aliæ in iure sufficienter non exprimantur. *Ibidem §. unico, per totum.*

*Irregularitas ex homicidio.*

70 Intentio occidendi vel mutilandi, non inducit irregularitatem, sed requiritur actualis occisio vel mutilatio hominis, & ut occidens, vel mutilans sit baptizatus & doli capax, quandoquidem actus inducens irregularitatem sit actus humanus. *Ibid. quest. 4 punct. 1. n. 1. & 2.*

71. Clericus, aut alius iuste mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium secuto effectu, sit irregularis defectu lenitatis, quæ impedit ordines suscipere, & susceptos exercere Et non solum qui occidit, vel mutilat, est irregularis ex defectu lenitatis, sed etiam mortem accelerans, aut causam propinquam mortis dans dicto vel facto. Item iudex inferior Summo Pontifice ferens sententiam mortis vel mutilationis, ejusque assessores, cooperatores, satellites, &c. Notarius scribens vel legens sententiam, consultores in casu aliquo particulari in causa sanguinis, comitantes reum ad supplicium causa securitatis; item qui dicit reo, *ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum ictum*, si ob ipso dicta reus ceteris mutilatur. Similiter est irregularis, qui actu pugnantibus præbet gladium ad aliquem particularem occidendum, aut qui tradit ligna, quibus hæreticus vivus comburatur; secus dicendum de deferente crimen ad iudicem, aut campanis simpliciter signum dante; aut de fabris ferrariis, vel aliis armorum fabricatoribus, constantibus aut vendentibus gladios ad usus humanos in genere; aut de clericis assistentibus executioni sententiæ; non enim dicuntur ad illum cooperari. Similiter excusatur ab irregularitate, qui orationem deficit litteras quibus mandatur aliquem occidi, vel mutilari. *Ibid. num. 3. & seq.*

72. Ille qui clamavit adesse latrones, sit irregularis, quando suo clamore prævidit fore ut alii accurrerent, illosque occiderent, censetur enim causa mortis. Item qui satellitibus directe, vel indirecte judicando reum, fuit causa eius reus cape-

caperetur, incurrit notam irregularitatis secuta mutilatione vel morte; secus dicendum de eo qui aliquem ostendit non sciens ipsum quæri ad mortem. *ibid. nu. 18. 19. & 20.*

73. Clericus qui rogat Principem ut justitiam faciat, ut ut judicet secundum jura, &c. videtur excusandus ab irregularitate; cum hic modus loquendi videatur indifferens. *ibid. n. 21.*

74. Bannitum hostemque Reipubl. publica auctoritate occidens, fit irregularis; exercens quoque officium in criminalibus, ut v. g. condemnans reum ad mortem, vel mutilationem, irregularitatem incurrit; & unam tantummodo, licet plures ad mortem condemner. *ibid. n. 22. & seq.*

75. Judex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, non fit irregularis, cum degradando non cooperetur ad mortem. *ibid. num. 27.*

76. Non est irregularis ille qui habens jurisdictionem temporalem, constituit prætores ad causas sanguinis, aut qui mandat alicui ut inquiret de delicto, & justitiam faciat. *ibid. num. 28. & 29.*

77. Prælati quando interrogatur quid sit faciendum in aliqua causa sanguinis, respondere potest hoc modo: facite quod leges statuunt, consulite peritos, &c. imò licitum est Sacerdoti dare consilium Principi, ut legem ferat qua fures plectantur capite; & Confessarius in simili casu potest absque periculo irregularitatis dicere pœnitenti, non te absolvam, nisi facias quod leges præcipiunt, vel nisi punias reum secundum jura: propterea excusandus est Confessarius ab irregularitate, qui pœnitentem juridicè interrogatum hortatur ad confitendam veritatem in judicio, etiam si reus ob confessionem veritatis puniendus sit pœna mortis: hortatur enim ad id ad quod tenetur, & præstat munus suum. *ibid. n. 30. & seq.*

*Irregularitas qua incurritur accusando vel testando.*

78. Accusans alium in causa criminali, incurrit irregularitatem secuta morte, vel mutilatione propter suam accusationem, nisi hoc faciat justè petendo satisfactionem pro injuria sibi vel suis rebus illata, & non petendo vindictam, aut accusando alterum de injuria illata personis extraneis: nam permittitur clericis conqueri solum de malefactoribus suis, non verò de iis qui aliis damna intulerunt, modo si qui damnum

num passi sunt, non sint propinqui clericorum. Unde fit ut clericus accusans alterum ad sui defensionem vel suorum, non incurrat irregularitatem, etiamsi mors sequatur præmissa protestatione. Excusatur aliquando clericus accusando alium de crimine, quando crimen adeo leve est, ut non videatur dignum mutilatione; vel quando non petit vindictam, sed satisfactionem sibi debitam. *ibid. punct. 2. n. 1. & seq.*

79. Tam laicus quàm clericus omittens protestationem ex oblivione in causa criminis, incurrit irregularitatem: facienda est autem protestatio coram iudice his vel similibus verbis: Domine peto cures mihi satisfactionem, vel restitutionem exhiberi à Titio, qui mihi damnum intulit, protestorque me nulla ratione intendere pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem, Protestatio solo animo facta non prodest; nam jus requirit protestationem expressam: tamen protestatio, si facta, sufficit ad evitandam irregularitatem. *ibid. n. 8. & seq.*

80. Testis ex cujus dicto mors secuta fuit, est irregularis, si examinatus fuerit iudicè, si non.

Clericus cogi non potest ad faciendum testimonium in causa sanguinis contra reum: potest tamen testari in favorem rei, nec fiet irregularis, etiamsi ob id sequatur mors accusatoris. *ibid. punct. 3. n. 2. & seqq.*

81. Advocatus, vel Procurator qui causam rei suscipit, non incurrit notam irregularitatis, quando sequitur mors, vel mutilatio accusatoris, qui compertus fuit calumniator; secus dicendum, si reus ex imperitia, vel negligentia Advocati aut Procuratoris adjudicetur morti. *ibid. num. 5. & 6.*

82. Advocatus, vel Procurator accusatoris fit irregularis si secuta morte, vel mutilatione rei, contra quem pro accusatore agebat. *ibid. n. 7.*

83. Item Procurator & Advocatus accusatoris, aut delatores criminum, aut syndici Fiscales, aut testes concurrentes in causa criminali, non excusantur ab irregularitate præmittendo protestationem; non nego tamen quin testis ex metu gravi possit excusari ab irregularitate. *ibid. n. 8.*

*Irregularitas contracta ob bellum.*

84. Occidens alium in bello tam justo quàm injusto, incurrit irregularitatem, cum sit causa mortis, non item procedens

cedens ad bellum, sine animo pugnandi, si occidat inimicum ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. *punct. 4. num. 1. & 2.*

85. Quando diviso exercitu in duas partes, una pars occidat altera verò non occidit, milites illius tantummodo partis que occidit, sunt irregulares *Ibid. num. 3.*

86. Consulens alicui Principi bellum justum contra alium non est irregularis, sicut nec ille qui hortatur alterum ad vitam effundendam pro fide Christi, vel pro tuenda Republica. *Ibid. n. 4. & 5.*

87. Tam clerici quàm laici possunt interesse bello justo absque irregularitate, etiam si hortentur milites, ut suo fungantur munere, vel illos hortentur in genere ad pugnandum, ad fortiter se gerendum, ad vincendum, ad fidem tuendam, ad patriam defendendam. *Ibid. num. 7.*

88. Præbens seu vendens arma in bello justo, non est irregularis, etiam si arma sint offensiva, *cap. petitis tua.* modo non præbeat arma ad occidendum hunc vel illum in particulari. *Ibid. num. 9.*

89. Clericus propriis manibus pugnans de licentia Summi Pontificis, non videtur subjacere irregularitati. *Ibid. n. 12.*

90. Solus Summus Pontifex potest de jure communi dispensare in irregularitate contracta causa belli. *Ibid. n. 13.*

*Irregularitas contracta medendo, aut chirurgiam exercendo.*

91. Laicus exercens chirurgiam vel medicinam secundum regulam artis, non fit irregularis, etiam si membrum aliquod abscindat causa sanitatis; secus dicendum si ejus culpa ægrotus interit. *Ibid. punct. 5. n. 1.*

92. Clericus etiam beneficiarius exercens officium medici vel chirurgi secundum regulam artis, seclusa adulatione vel incisione, non est irregularis, etiam si mors sequatur. Adde clericum majoribus ordinibus initiatum non peccare, nec affici irregularitate, incidendo vel adurendo urgente necessitate, e.g. tempore pestis, quando non adest alius qui id præstet. Item adjuvans chirurgiam ad justè abscindendum membrum alicujus ægroti infectum, non incurrit irregularitatem. *Ibid. num. 4. & 5.*



*Irregularitas ex homicidio facto ad sui defensionem.*

93. Occidens alium ad vitæ suæ defensionem non excedendo notabiliter moderamen inculpatae tutelæ, non incurrit irregularitatem; quia huiusmodi actio non censetur iniusta, etiam si dederit causam invasionis. Sicut autem licitum est tueri vitam cum morte invasoris, ita etiam licitum est tueri membrum, seu partem vitæ; præsertim quando ex huiusmodi percussione, vel mutilatione membri sequi potest emissio vitæ *ibid. punct. 6. n. 3. & 4.*

94. Qui occidit iudicem injustè sibi parantem mortem, non est irregularis. Idem dic de capto ab hostibus volentibus ipsum interficere, is enim occidendo custodem vel alium, quando aliter evadere non potest, non fit irregularis: sicut nec qui ture domi invento clamavit ad vitam, vel ad res suas defendendas, *cape, cape;* secus dicendum si clamavit, *occide, occide,* &c. *ibid. n. 5. & seq.*

95. Qui alium occidit ut se defendat à gravi deformitate vultus, aut qui tradit alteri arma, ut se defendat, sed alter occidit invasorem, non est irregularis. *ibid. n. 8. & 9.*

96. Occidens alium ad defensionem sui honoris rerumque suarum, non fit irregularis, servato moderamine inculpatae tutelæ. Idem dicendum de occidente invasorem proximi cum moderamine; & hoc petiori ratione sequitur si occidat alium defendendo proximum quem tenetur defendere, ut defendendo Principem, vel aliam personam publicam, vel patrem, &c. Adde illum non esse irregularem, qui tradit arma alicui in vaso ad se defendendum, & invasor occiditur ab invaso cum moderamine inculpatae tutelæ. *ibid. num. 10.*

*Irregularitas ex homicidio casuali.*

97. Homicidium omnino casuale quod non est volitum in se, nec in causa, non inducit irregularitatem, cum non sit percaminosum, aut voluntarium *ibid. punct. 7. n. 2.*

Hinc fit ut homicidium commissum ab amente, vel furioso, non habente tunc temporis lucida intervalla, vel ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud secuturum, non inducat irregularitatem; sicut nec si commissum sit ab infante rationis usa catente. *ibid. n. 3. & seq.*

98. Ho-

98. Homicidium quod non est omnino casuale, sed voluntarium in causa, seu implicite voluntarium, inducit irregularitatem: unde à fortiori homicidium inducit irregularitatem quando est voluntarium in se & directe, id est cum advertentia & deliberatione, ex industria, & ex proposito. *ibid. num. 7.*

99. Dans operam rei licitæ vel illicitæ, non est reus homicidii, aut irregularitatis, si debitam diligentiam adhibuit, ne sequeretur homicidium: & hoc verum est, etiam si res erat periculosa homicidii, moro diligentiam adhibuit, & modo ex illa re cui opera datur, non solet mors ut plurimum sequi; tunc enim incurritur irregularitas secuta morte, vel mutilatione. *ibid. n. 8. & 9.*

100. Conficiens gladios quibus aliqui postea occiduntur, non fit irregularis: nam censetur causa tantummodo remota mortis; secus dicendum de aromatariis conficientibus medicinas ex rebus corruptis, si hac de causa sequitur mors infirmi. Similiter qui præbet aut consultit, aut tradi mandat aliquid infirmo contra Medici præceptum, fit irregularis, quoties infirmus ex illius rei traditione perit, aut notabiliter ipsius mors acceleratur: non esset tamen irregularis, qui cautè & secundum regulas artis extraheret sagittam è vulnerato, ex cuius extractione vulneratus moreretur. *ibid. num. 10. & seq.*

101. Magister verberans discipulum excedendo modum percussionis, & non adhibendo debitam diligentiam ne sequatur mors vel mutilatio, fit irregularis: secus dicendum de iudice, qui præcepit reum verberari juxta leges, sed minister a deo excessit, ut ratione illius excessus, reus mortuus fit. *ibid. n. 14 & 15.*

102. Ille excusari potest ab irregularitate, qui leve vulnus alteri inflixit, ex quo tamen vulneratus perit ex sua intemperantia, aut ex injuria vel incuria medici. *ibid. num. 16.*

103. Ille est irregularis in foro conscientie, qui consultit Titio occidere Cajum, sed accidit ut ipse occisus fuerit à Cajo. *ibid. num. 17.*

Idem dicendum de eo qui inter dormiendum interemit infantem in lecto, eo quod non adhibuerit debitam & sufficientem cautionem præscriptam in tenendo infantulo in lecto Projiciens lapidem in Titium fit etiam irregularis, si lapis. Titio illum declinante, concidit in Cajum, illumque occidit,

occidit, quia censetur actionem periculosam homicidii exercuisse absque sufficienti diligentia. Similiter ille est irregularis, qui reficiens tectum, tegula occidit transeuntem; si non monuerit, aut signum de more non exposuerit. Item sunt irregulares, qui hyeme se percutunt pilis niveis si mors sequatur; aut oculus eruat; secus dicendum de saltante cum muliere gravida saltatione consueta & moderata; si abortus sequatur fetus animati. *Ibid. n. 18. & seqq.*

104. Insidens equo, non est habendus pro irregulari, quando equus fractis habenis puerum in via existentem concussit & interfecit, mors enim censetur omnino casualis. *Ibid. n. 23.*

105. Ille non est quoque irregularis, qui domi diligentem custodit feram, quæ absque ipsius culpa soluta, aliquem occidit; secus dicendum de eo qui feram vinculis constrictam in platea detinet, quæ incaute accedentes occidit. *Ibid. num. 24.*

106. Detegens bona fide in conventu hominum adulterium mulieris, non est irregularis, si unus adstantium deserat ad vitium adulteræ, & mors inde mulieri sequatur. *Ibid. num. 25.*

107. Ille est irregularis, qui ioco (excipe pueros) terrorem incutit alteri, estque causa, ut alter eo terrore commotus & perterritus, se det præcipitem. *Ibid. num. 26.*

108. Ad incutendam irregularitatem ex homicidio injusto non omnino casuali, requiritur culpa mortalis. *Ibid. num. 27.*

*Irregularitas ex homicidio injusto voluntario.*

109. Voluntarium simpliciter dicitur illud, quod intenditur ab agente, voluntarium autem indirecte non intenditur nisi directe, explicitè reputatur tamen intentum in actu exercito, eo quod aliquid actum fiat per se & immediatè ordinatum ad illum effectum, Idem dicendum respectu consulentis, vel mandantis. *Ibid. punct. 8. num. 1. & 2.*

110. Membrum proprie dicitur pars illa corporis, quæ proprium habet officium distinctum ab aliis partibus. *Ibid. num. 3. his positis:*

111. Homo baptizatus occidens vel abscidens alterius membrum voluntarie simpliciter vel secundum quid, vel casualiter cum mortali culpa, est irregularis secuta morte, aut mutilatione. Propterea mutilans membrum alterius, vel majorem partem membri, e.g. totam ferè manum, est irregularis, etiam si membrum debilitatum esset, vel aridum, (contra non-

illos) modò mutilans non sit chirurgus, vel medicus, hoc faciat ex præscripto artis, secus dicendum de debilitate vel reddente inutile membrum; hic enim non dicitur mutilare vel occidere; aut de eo qui reddit aliquem cæcum non exaudendo illi oculum; aut alteri digitum abscidit, cum digitus non sit propriè membrum; aut mutilat cadaver, quia hæc non dicitur hominis mutilatio. *Ibid. num. 4. & seq.*

112. Mandans expresse vel tacitè homicidium vel mutilationem, reus est homicidii vel mutilationis, consequenter irregularis, & tenetur ad restitutionem, nisi expresse aut tacitè revocaverit mandatum, & illius revocatio innotuerit mandatario *ibid. n. 13.*

113. Qui mandavit verberare, percutere, vel capere, &c. imponendo expresse ne occideret, & curaret ne occideretur: nihilominus mandatarius inimicum se ipsa occidit, reus est homicidii, quia mandavit actiones quæ sunt periculosa mortis *Ibid. n. 18.*

114. Consulens homicidium illi qui paratus non erat ad homicidium patrandum, reus est homicidii & irregularitatis secuta morte, vel mutilatione, dummodo tamen consulens non retraxerit influxum suum. Idem dicendum de consulente homicidium quod alter consulisset, aut de occidente Cajum, quem alter occisurus erat, qui aliter moriturus erat: nam sic efficaciter influit in homicidium vel mutilationem, secuta morte ob suum consilium; secus dicendum de suadente Caio homicidium, quod adhuc commisisset absque consilio & suasionem, nam in hoc casu consulens, non censetur causa efficax homicidii. *Ibid. n. 19. & seq.*

115. Qui suo dolo influit in homicidium, aut consilium datur alteri in casu illicito capiendi arcem per prodicionem, & inde mors alicujus sequitur, est irregularis; sicut & qui dat consilium faciendi abortum foetus animati anima rationali, secuta tamen effectu. *Ibid. n. 25. & seq.*

116. Auxiliares, aut cooperantes ad homicidium, rei sunt homicidii, & consequenter irregulares secuta morte, vel mutilatione. Propterea quando plures de communi consensu aggressi sunt Titium, qui Titius ex uno tantum vulnere perit, omnes rei sunt homicidii, & consequenter irregulares, etiam si non omnes percussissent: nam omnes cooperati sunt ad homicidium concitando se & consulendo homicidium; secus dicendum si in subita quadam rixa vulnera inflixerint, & unus

tantum lethale vulnus infixit, nam ille tantum videtur reus homicidii. Quod si non constet quis vulnus lethale intulerit, debent omnes se tamquam irregulares gerere.

117. Ille non est censendus irregularis, qui rixam habens cum Titio, admonet accurrentes in sui auxilium, ne quid mali Titio inferant, etiamsi accurrentes occidant Titium inuitu illius. *Ibid. n. 28. & 29.*

118. Qui voluntarie non impedit homicidium quod tenetur ex iustitia impedire, incurrit irregularitatem homicidii voluntarii, ut accidit, quando quis tenetur ex officio, vel ex stipendio, vel ex promissione alterum defendere, & non defendit: peccat enim contra iustitiam non impediendo; & censetur causa moralis homicidii hinc sequitur Principem non impediendo necesse, iudicem non impediendo injustam sententiam contra vitam innocentis, Medicum non curando eos à quibus pretio conductus est, dominum non adhibendo debitam diligentiam, ne animalia quæ sub suo dominio vel custodia existunt, nocuum aut vulnera inferant, ligari irregularitate secuta morte. *Ibid. n. 37. & seq.*

119. Ratum habens homicidium suo nomine factum ipso insciente, non est reus homicidii, consequenter neque irregularis, cum nihil influat, quamvis graviter peccet propter effectum ad homicidium. *Ibid. num. 42.*

120. Summus Pontifex dispensare potest in qualibet irregularitate proveniente ex homicidio iusto vel injusto, voluntario vel casuali, & Episcopus similiter in homicidio occulto casuali, aut patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpatae tutelæ; non potest tamen Episcopus dispensare cum eo qui alium occidit in rixa inopinato suborta, etiamsi homicidium sit occultum. Item non potest Episcopus dispensare cum eo qui contraxit irregularitatem occidendo in bello iusto, etiamsi occisio sit occulta, quia est voluntarium homicidium. *Ib. punct. ult. num. 1. 9. & 10.*

121. Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem dispensare non possunt in irregularitate ex casuali homicidio, vel ex mutilatione proveniente, quia illa facultas Episcopis concessa est specialis & extraordinaria, consequenter non est extendenda ad eos, qui vere & proprie non sunt Episcopi. *Ibid. num. 12.*

122. An vero aliqui religiosi dispensare possint, standum est eorum privilegii. *Ibid. num. 1.*

## Dispensatio irregularitatis.

123. Summus Pontifex dispensare potest in omni irregularitate jure humano introducta; sicut enim potest legem condere, ita etiam potest eam per dispensationem abrogare. *Ibid. quest. 5. punct. 1. n. 1.*

124. Probabiliter sustineri potest, ablata lege irregularitatem inducente, censeri etiam ablatam irregularitatem ante contractam, modo abrogatio legis simpliciter & absolute fiat. *Ibid. num. 2.*

125. Episcopus dum in sua diocesi existit, dispensare potest cum suis subditis in irregularitatibus provenientius ex defectis occultis, excepta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentiosum. Dispensare potest etiam cum religiosis seipso illi subditiis in iis casibus, in quibus potest cum suis subditis dispensare. Hæc facultas dispensandi quam habent Episcopi ex privilegio Tridentini non est extendenda ad alios Prælatos habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. *Ibid. num. 3. 4. 5. 6. 7.*

126. Episcopus dare potest facultatem alteri, qui se committet in iis casibus, in quibus dispensare potest cum suis subditis in irregularitate & in censuris, quia favores sunt ampliandi; & eo ipso quo Episcopus aliquem irregulare admittit ad ordines, aut concedit litteras dimissorias, censetur cum eo dispensare in irregularitate, aut concedere facultatem, ut dispenseretur ab alio Episcopo, modo sciat ordinandum esse irregularem, & intentionem habeat dispensandi. *Ibid. n. 8. 9.*

127. Omnis irregularitas saltem confurgens ex proprio delicto tollitur per Baptismum, seu potius, homo non afficitur irregularitate ob defectum existentem ante Baptismum, nisi defectus adhuc perseveret post Baptismum. *Ibid. punct. 2. n. 1.*

128. Per professionem in approbata religione tolluntur irregularitates in jure expressæ, v. g. ea, quæ provenit ex defectu natalium; hæc tamen irregularitas aufertur per professionem solum quoad ordines, non verò quoad prælaturas. *Ibid. num. 2. 3.*

129. Irregularitas aufertur ablata causa, ob quam fuerat introducta, quoties irregularitas fertur pro tali tempore, quo durat talis causa: propterea irregularitas ex defectu ætatis, tollitur sublato ætatis defectu per adventum legitimæ ætatis. *Ibid. n. 5.*

130. Irregularitas tolli potest per facultatem à Summo Pontifice concessam, aut etiam collatam ab Episcopo in iis casibus, in quibus Episcopus jure ordinario dispensare potest. *Ibid num. 6.*

131. Facultas dispensandi concessa à Papa sub hac conditione, *si res ita est*, expirat morte Papæ re adhuc integra; quia hujusmodi facultas est veluti mandatum, mandatum autem expirat morte mandantis. *Ibid, num. 7.*

132. Habenti facultatem absolvendi ab omnibus censuris & sententiis, non censetur concessa facultas absolvendi ab irregularitatibus contractis ex delicto, nisi facta sit illius expressa mentio. *ib. n. 8.*

133. In concedenda & obtinenda dispensatione, requiritur, ut dispensatio signo aliquo externo sufficienter manifestante voluntatem Superioris, exprimatur: requiritur præterea justa causa, & ut exprimatur species irregularitatis, seu delicti; alioquin obstrictus pluribus irregularitatibus, nullius validè obtinet dispensationem, cum non constet in quam fuerit dispensatus. *Ibid. punct. ult. num. 1.*

134. Qui obtinuit facultatem dispensandi in irregularitate, potest cum eo dispensari, si obtenta facultate denuò incidat in irregularitatem: nec est necesse in concedenda dispensatione dicere, *dispenso te toties, quoties incurristi*; sed sufficit dicere, *dispenso te super irregularitate*. *Ibid. n. 2. & 3.*

135. Obtinens dispensationem ob unam causam, non censetur dispensatus in irregularitatibus contractis ob aliam causam, nisi reverà Superior intendat generaliter dispensare. *Ibid. num. 5.*

136. Non extat certa & determinatà verborum forma in concedenda dispensatione irregularitatis; nullo enim jure probatur eam requiri: hæc tamen communiter adhiberi solent: *Dispensato tecum in irregularitate, vel irregularitatibus quas obtalem, vel talem causam contraxisti, teque habilem officio ad susceptionem & executionem ordinum, & officiorum tuorum, quantum possum, In nomine Patris, &c.* Valida tamen est dispensatio obtenta sub hac forma: *Absolvo te ab irregularitate, quam contraxisti, &c.* *ibid. num. 7.*

## A D D I T I O.

Irregularitas est, vel ex defectu, vel ex delicto: ex defectu, quan-

quando homo defectum haber, ob quem à jure repellitur  
sacris ordinibus suscipiendis, vel exercendis Ex delicto, quan-  
do quis ob delictum aliquod patratum, ab illis de m arctetur.

Observandum, nullam esse irregularitatem, & numquam  
contrahi, nisi sit in jure expressa.

Multæ sunt irregularitatis species ex defectu, nam sunt  
defectu vel natalium, vel originis, vel libertatis, vel ætatis, vel  
honestæ famæ, vel corporis, vel animæ, vel sacramenti.

Quando dubium est, an aliqua irregularitas sit in jure,  
dubius non debet aliquem irregularem putare, & quando dubi-  
tatur, an aliquod factum juris irregularitatem inducat, sicut  
ut quibusdam videtur, potest hominem irregularem exi-  
stimare, quod negat Innocentius: Panormit. distinguit, inter for-  
rum contentiosum, & forum pœnitentiale.

Quando agitur de imponenda pœna, ubi nullum est animæ  
periculum, vera est Innocent. doctrina, quando autem agitur  
de pœna salutem animæ respiciente, in dubio debet homo  
regularis reputari. sic Panormit. Toletus explicat.

#### Judæus.

Cessante periculo, non est mortale, cum Judæo conversari,  
etiam simul habitando, non tamen ejus medici opera uten-  
do, juxta Constitution. Gregor. XIV. vid. Fum. *ver. Judæus*  
*num. 2 3. 3. Sylv. vers eod.* de hac re multa Azorius l. 8. c. 2.  
Prohibet tamen *c. nullus. 28 q. 1. vid c omnes. ibid.*

Licet ei vendere ea, quibus utitur in ceremoniis suis, sed  
non ea intentione, ut utatur, nec cum certò scitur illis abuten-  
tus. Cajet. 2. q. 269. art. 2 Mol. dist. 340

Quidam tam en negant, lege Azor. l. c. q. 5.

Judæi non sunt prohibendi celebrare suos ritus, aut reficere  
res suas Synagogas. vid. Azor. l. c. c. 6.

Alii quidam, posse Principem non habentem superio-  
rem in temporalibus, permittere Judæis usuras, si ita expe-  
diat Reipub. Licet enim permittere mala minora, ad evitanda  
majora, ut apparet in meretricio. vid. Azor. l. c. c. 21. *quest. 11.*  
Nav. 27. n. 143. *c. con. 3. de usu. Sylv. usura. 9 q. 22.*

Christiana nutrix, extra Judæorum domus, eorum infan-  
tes nutrire potest, juxta Zabarell. quod negat Ant. de Bu. Jo-  
an. Andr. Abbas, Azor. l. c. c. 22. q. 9.



## Iudex, iudicium publicum.

Videv. Accusator, Reus.

1 Potestas & iurisdictio sive ordinaria, sive delegata, sive arbitraria, sive accessoria requiritur, & adeo necessaria est iudicio; ut sententia lata sine potestate & iurisditione invalida sit, quia nihil fieri potest sine potestate. *tom. 2 circa octavum Decalogi preceptum, diff. 10. q. 2. punct. 1. n. 1. & 3.*

2 Clerici exempti sunt à laica potestate, si uenturque privilegio fori, etiamsi gravia delicta commiserint; hinc qui habitum clericalem commisso delicto suscipit, non potest à laica potestate iudicari, nisi forte habitum clericalem susceperit in fraudem *ibid. §. 1. num. 5. & 15.*

3 Nomine autem clericorum veniunt non solum Cardinales & Episcopi, verum etiam initiati sacris aut minoribus ordinibus, aut sola prima tonsura, & religiosi cuiuscumque ordinis aut sexus; imò etiam conjugati, modo habitum & tonsuram deferant, abstinere ab armis deferendis, & modo non sint bigami, bigamia vera vel interpretativa. Secus dicendum de familiaribus Cardinalium, Referendariorum, aut Episcoporum, qui non sunt proprie personæ Ecclesiasticæ. *ibid. §. 2. num. 3 & 4.*

4 Laici non possunt per consuetudinem acquirere iurisditionem in clericos, etiamsi consuetudo sit immemoralis, & clerici vel Episcopi consentiant; quia particulares cedere non possunt privilegio toti communitati clericorum concessio. Possunt tamen laici ex privilegio Summi Pontificis iurisditionem in clericos acquirere, donec huiusmodi privilegium revocetur. *ibid. §. 3. num. 1. 2 & 4.*

5 Casus in quibus clericorum saeculari & laico subiciuntur, sunt degradatio, bigamia, vel vera vel interpretativa, susceptio habitus clericali in fraudem, causa feudi. (hinc infer clericum tenentem stare iuramento fidelitatis præstito Domino directo feudi.) causa reconventionis in civilibus tantum, & modo reconventio fiat in continenti; præterea dum (iuxta nonnullos) clericus in ornatibus se immiscet, vel effectus est incorrigibilis, quamquam solus incorrigibilis, per se loquendo, non sufficit; sed adhuc requiritur ut clericus incorrigibilis brachio saeculari tradatur. *ibid. §. 4. num. 1. & seq.*

Y 4

6. Cle-

6. Clericus cui reservata est pensio tamquam clerico, & gaudet privilegio fori dum habitum & tonsuram non deferat, secus si habet præstimonium, vel aliud quod in titulum de soleat, vel aliquam beneficii collationem, etiamsi non de obtinuerit possessionem, licet aliqui oppositum sentiant. *Ibid. num. 12. & 13.*

7. Qui consuetudinem habet dimittendi habitum, ita publicè laicus existimetur, amittit privilegium fori; secus aliquoties dimittat & clericus adhuc existimetur. Similiter clericus minoribus initiatus habitum & tonsuram non deferat, amittit privilegium absque alia monitione; si verò beneficium habeat, aut sacris ordinibus initiatus sit, non amittit privilegium, nisi ter specialiter admoneatur, ut habitum clericalem deferat. *Ibid. num. 13. & 16.*

8. Clericus qui ob impotentiam, vel ob aliam justam causam clericalem habitum juxta sui loci consuetudinem non deferat, non amittit privilegium fori. Quod si controversatur an habitus sit clericalis, vel an aliquis sit clericus, cognitio pertinet ad Prælatum Ecclesiasticum, & interim laicus iudex interponere debet ab actibus judicialibus. *Ibid. num. 17. & 149.*

9. Clericus qui in re aliqua in Tridentino præscripta delinquit, ob idque foro laicali subicitur, non solum à iudice laico, verum etiam ab Ecclesiastico judicari potest, quia Ecclesia non abdicavit à se jus cognoscendi de criminibus clericorum. *Ibid. num. 20.*

10. Clericus initiatus minoribus, si Ecclesiæ serviat, cui inservire Episcopus non præcipit, non gaudet privilegio fori. *Ibid. num. 21.*

11. Qui privilegium fori amittit, non propterea amittit privilegium Canonis, nisi sit bigamus, vel nisi sit conjugatus, simulque habitum & tonsuram non deferat, aut nisi habitum omnino dimiserit. *Ibid. num. 22.*

12. Clericus conveniens alium clericum coram laico iudice incompetente, committit culpam sacrilegii, & pœnam excommunicationis incurrit. Idem dicendum de iudice incompetente personas Ecclesiasticas puniente, vel iudicante. *Ibid. §. 2. 1. & 2.*

13. In iudice præter potestatem & jurisdictionem, requiritur adhuc veritas: ita ut non possit iudex ferre sententiam mortis contra innocentem, quem privatim certò cognoscit innocentem, sed in iudicio probatur nocens. Idem dic

dic de ministro justitiæ, qui non potest sententiam exequi peccando innocentem, quamvis inde sibi timeat privationem officii; non enim sunt facienda mala ut eveniant bona; ferre autem sententiam contra innocentem, intrinsece malum est. In causis tamen civilibus, aut etiam in criminalibus mitioribus judicandum est secundum allegata & probata.

*ibid. punct. 2. n. 1. & seq.* Item,

14. Iudex non potest condemnare eum, quem secreto novit nocentem, sed innocens in iudicio publico probatur, & hoc valet non solum in iudice inferiore, verum etiam in supremo, non solum in causa criminali, verum etiam in civili, secus si crimen sit publicum, aut plene probari possit, sed non expedit illud in iudicium afferre *ibid. n. 5.*

15. Iudex in conferendis officiis & beneficiis, non tenetur publicam scientiam sequi, quia potius censetur tunc distributor quam iudex, debetque pro meritis ex re ipsa, non autem ex testibus desumptis officia distribuere. *ibid. num. 7.*

16. Præterea in iudice necessaria est scientia qua recte sciat suo munere fungi, & puritas in recta intentione; non peccat tamen iudex, per se loquendo, iudicium ferens dum lethalis culpæ conscientiam habet. Item tenetur adhuc iudex causas celeriter expedire. *ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

17. Sententia injusta lata ex odio vel prava intentione, vel favore partis valida est, quia in ea nihil deest essentielle; secus dicendum de sententia lata non servato juris ordine, aut lata contra veritatem facti, aut fundata in falsa præsumptione; hæc enim non valet neque obligat in conscientia *ibid. punct. 4. num. 4. & seq.*

18. Quæres, quæ sit forma juris quam iudex in modo procedendi servare debet? Respondeo triplicem esse modum procedendi, nimirum vel per denuntiationem, vel per accusationem, vel per inquisitionem. Ad modum procedendi per inquisitionem generalem non requiritur infamia prævia, vel accusatio, vel denuntiatio: ad modum autem procedendi per inquisitionem specialem, necessaria est infamia, vel clamorosa insinuatio: neque ad eam præcisa consuetudine in contrarium sufficiunt sola indicia manifesta. *ibid. punct. 5. num. 1. 7. 10 & 12.*

19. Modus verò procedendi per inquisitionem mixtam, qua inquiritur specialiter de persona; & generatim de crimine, requirit præviam infamiam, vel semiplenam probationem.

nem & accusationem, aut saltem manifesta indicia iuxta receptam loci consuetudinem; hinc sequitur quando commissum fuit homicidium, de quo publicè constat, posse in genere inquiri, quis illud commiserit; non posse verò inquiri in specie, nisi præcesserit infamia vel semiplena probatio, Excepiuntur tamen aliqui casus, videlicet quando inquisitio vel manifestatio necessaria est ad impediendum malum futurum publicum aut privatum, præsertim animarum, ex gratia impediendum crimen læsæ majestatis, aut hæresis vel apostasie, quia hæc crimina nimis perniciofa sunt Republice & quando iudex in generali inquisitione comperit aliquem deliquisse; tunc enim procedere potest ad specialem inquisitionem. Idem dicendum quando proceditur non ad punitionem, sed ad conferendum beneficium ad dispensandum in voto, ad celebrandum matrimonium, ad eligendum, &c. *ibid. n. 12. & seq.*

20. Iudex via accusationis juridicè procedit, quoties dilata accusatione interrogat testes, & postea habita saltem semiplena probatione procedit ad interrogandum reum: quousquam aliquando procedit per querelam, aliquando per inquisitionem cognito delicto. *ibid. punct. 6. n. 1. & 2.*

21. Iudex via denuntiationis juridicè procedit, quoties crimine de aliquo ad ipsum delato ex officio procedit ad accipiendas informationes, & examinandos testes nominatos à denunciatore, vel alios quos ipse iudex inquirendo ex officio comperit informatos, quibus positis legitimè accedit ad examinandum delinquentem: excusari tamen potest praxis iudicum sæcularium, qui ex denuntiatione publici officialis, vel alterius privati ad id muneris deputati, vel ex querela partis accedunt ad accipiendas informationes, & iis habitis specialem inquisitionem formant. *ibid. num. 4. & 5.*

22. Iudex tenetur ad restitutionem, si non servavit ordinem juris in iudicando; nam censetur causa iniusta damnata. *ibid. num. 6.*

23. Petes, an iudex pœnam à lege taxatam remittere possit? Resp. Iudex inferior præciso communi bono, non potest pœnam à lege taxatam remittere, arbitrariam verò potest augere vel minuere; secus dicendum de supremo: is enim potest iusta de causa pœnam in jure taxatam relaxare, etiam recusante parte. Non debet tamen iudex se facilem exhibere in liberando reo, aut in commutando pœna corporali in pecuniaria.

eunariam nam sub spe istius commutationis, divites occasionem arripere liberiori peccandi. Præterea iudex non potest, per se loquendo, eum ad mortem condemnare, à quo delicti confessionem extorsit promissione impunitatis, aut minis, vel deceptionibus; nisi alioquin magnum immineat Reipublicæ damnum. *ibidem punct 7. num. 13. & 8.*

24. Potestne iudici aliquid tradi, & ab eo accipi? Resp. iudices tam sæculares quàm Ecclesiastici, aliquid loco stipendii à litigantibus pro exercendo iustitiæ officio accipere possunt, modo aliunde non sit illis assignatum; beneficiarius tamen non potest quidquam accipere, si beneficio est adnexum onus iudicandi; quia beneficium datur propter officium, consequenter datur ad supplendâ onera beneficio adnexa. *ibid punct 8. n. 2. & 3.*

25. Iudex Ecclesiasticus ordinarius non potest quidquam pro assessore accipere. Secus de iudice sæculari, aut etiam de iudice Ecclesiastico delegato, modo nihil in fraudem accipiat, ut si assessor inutilis sit. *ibid n. 4.*

26. Iudex Ecclesiasticus tam ordinarius, quàm delegatus, præcisa legitima consuetudine in contrarium, non potest munera vel sportulas accipere, potest vero xenia, id est, esculenta, vel poculenta: & iudex sæcularis non solum potest xenia, veràm etiam aliquas sportulas, id est, etiam munera pecuniaria accipere. *ibid. num. 5. & 6.*

27. In Extravaganti Bonifacii VIII. in rubrica de sententia excommunicationis, quæ incipit, Excommunicamus, &c. lata est excommunicationis pœna contra dantes aliquid notabile, vel recipientes, promittentes, vel promissionem acceptantes pro gratia vel iustitia obtinenda in Curia Romana, item contra præbentes consilium, auxilium, vel favorem, contra scientes & non revelantes eos qui ex pacto tacito vel expresso dant vel recipiunt aliquid pro gratia vel iustitia, beneficio, aut pensione obtinenda in Curia Romana; & contra eos qui iustitia & gratia sic obtenta scienter utuntur. Adverte tamen promittentem aliquid pro gratia vel iustitia non subiacere pœnis huius constitutionis altero promissionem non acceptante. Idem dicendum de eo qui fictè promittit, quia promissio ficta non est promissio. *ibidem §. Incid. num. 1. 8. & 9.*

28. Pœnæ huius constitutionis non incurruntur quoties aliquid

aliquid datur alio titulo pro gratia vel iustitia, ut si tradatur pro salario (quamvis adsit excessus, modo excessus non datur pro gratia,) aut si tradatur pro labore, vel diligentia atquam alter non tenebatur. Et qui tradit vel recipit post gratiam, non ligatur his pœnis, modo det vel recipiat solum titulo gratitudinis. *ibid. n. 14. & 15.*

29. Sciens aliquod delictum contra hanc constitutionem, excommunicationem incurrit non denunciando: tenetur tamen delinquentem admonere antequam denunciare, si fructum ex huiusmodi correctione speret. *ibid. n. 18. & 19.*

30. Denique ad incurrendas has pœnas non est necessaria consecutio gratiæ, vel iustitiæ, sed sufficit aliqua actio eius, quæ principaliter vitæ sunt. *ibid. num. 21.*

### A D D I T I O.

Quæstione orta inter iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem super iurisdictione, Ecclesiasticus iudicabit ad quem pertineat, alioquin ad quemvis iudicem ordinariè pertinet cognoscere in dubio, an sit sua iurisdictione. Cova. *pract. quæst. cap. 33. num. 1.*

Potest Ecclesiasticus retinere sibi pœnam pecuniariam, à se, aut à statuto impositam, sed præstat dare in usus pios.

Judicem quidem ajunt, peccare mortaliter, si non visitet carceres & curet provideri pauperibus, quod Emm. Saa probatur

Judex, potest assumere assessorem expensis partium.

Potest, si est consuetudo, accipere aliquid pro salario, & esculenta munera sponte oblata, modo non sint grandia. *Esculentia) c. statutum. de rescrip. lib. 6. Azor. l. 5. c. 28.*

Judex, quem scit innocentem, si non possit eripere, ut clam aperiendo carcerem, aut aliter, potest, & debet judicare secundum allegata & probata, nisi sit Princeps: hic enim potest, & debet eripere. Ita multi Doctores: quod improbat Emm. Saa. De hacre Salo. *quæst. 67. art. 2.* Bannes 161. Cajet. 16. Sot. *l. 5. q. 4. art. 2.* Covar. *l. 1. var. cap. 1.* Val *l. 3. d. 1. q. 11. p. 2.* Tol. *l. 5. c. 16. ex D. Thom. & commu. Azo. l. 2. c. 17. quæst. 8. quod improbat.*) Opinionem Sa sequuntur Lyr. in *Exod. 10. Arb. lib. 9. cap. 10 Theosop. Pan in c. pastoralis de offic. deleg. Rosell. iudex 1. q. 18. Aug. judicare n. 7.*

Judex in lite difficili potest partes cogere ad compositionem,

nem. Iudex non potest punire eum, à quo contra juris ordinem confessionem extorsit. Solo. q. 69. art. 2. contr. 3. corcl. 2. Sot. de rat. teg. m. p. 3. qu. 1. concl. 3. vid. Nav. cap. 18. n. 59. P. N. l. 2. cap. 3. n. 242.

## De modo procedendi.

Non proceditur contra aliquem sine accusatore, vel infamia, quæ est velut accusatio, nisi Princeps aliud jubeat, aut scandalum magnum, vel periculum postulet, & alioquin Reipub. bonū, vel communitatis, vel alicujus particularis; æquivaleret autem accusationi facti evidentia, & manifesta indicia, vid. Sot. l. c. q. 6. art. 2. D. Thom. & Cajet. 2. 2. q. 67. art. 3. cap. nihil. 2. q. 1. Val. tit. 3. d. 5. q. 11. p. 3. Cùm proceditur contra aliquem per viam accusationis, requiritur semiplena probatio; cùm autem per viam inquisitionis, infamia, vel sufficientia indicia, judicis arbitrio. Cum autem) vid. Salo. q. 69. art. 2. contr. 6. Syl. Inquisitio. num. 10.

## Iudicium temerarium.

31. Committitur iudicium temerarium, & consequenter mortale peccatum contra justitiam, judicando firmiter & deliberatè de aliquo gravi malo proximi, absque sufficienti fundamento, & indiciis seu conjecturis probabilibus, modò iudicium sit de re gravi, & fiat sine aliqua rationabili causa. tom. 2. de restitutione in particulari, disp. 2. quæst. 7. punct. 1. n. 4.

32. Suspicio potest aliquando esse peccatum mortale, quando scilicet graviter læditur bona proximi existimatio per suspensionem, ut accidit quando quis absque sufficienti fundamento suspicatur de viro sanctissimo hæresim, adultèrium, &c. *ibid.*

33. Non peccat mortaliter, qui temerè judicat de aliquo indeterminato, aut etiam de aliquo determinato, quem non agnoscit, nec agnitus est; quia in hoc casu nulli gravis irrogatur injuria. *ibid.* num. 7.

34. Qui de alio malè suspicatur, vel dubitat, non potest suam opinionem vel iudicium alii manifestare, nisi id fiat ad honestum finem. *ibid.* n. 9.

35. Petes, quomodo in hac materia, dubia explicanda sint? Regulariter loquendo tenemur dubia explicare negativè in meliorem

meliozem partem; non positivè, seu affirmativè, nisi forte quis velit actum positivum iudicii elicere. *ibid. p. m. c. 3. n. 1.*

## A D D I T I O.

Iudicare malum ex signis probabilibus, mortale non est, est autem si ex levibus indiciis malum grande dent pro-  
mo, D. Thom. 2. 2. qu. 60. art. 3. Cajet. 16. Val. Bannes, Sal.  
Salon. l. c. P. N. n. 449 Nav. c. 18. n. 9.

De honestissimo viro gravissimum malum suspicari, p. m.  
est, Sot. l. c. col. 8.

Ut iudicium temerarium sit p. m. debet esse certum de re  
grandi, ex levibus indiciis. Res gravis est m. p. sed perpe-  
denda ex infamia, Sot. art. 3. cit.

Quæ sunt sufficientia ad iudicandum indicia, videbitur  
prudens, Sot. l. c. Val. p. 3. in re gravissima ex levibus indi-  
ciis malè opinari, & dubitare adhibita deliberatione, mor-  
tale peccatum putat Arragon. qu. 60. art. 3. cum Victorelli  
contr. Cajet.

Quæres, An iudicio temerario, quod est mortale quod-  
dam mendacium, violetur præceptum octavum. Not. tres  
esse gradus temerarii iudicii, 1. est assertio firma in corda, ut  
cum sine formidine iudicamus esse aliquem furem. 2. est so-  
spicio, ut cum quis dicit, ille homo mihi videtur fur, tamen  
non audem certè asserere, 3. est dubitatio, cum iudicium  
suspendimus, vel asserendo, vel negando Resp. 1. Iudicium  
primi gradus semper ex suo genere esse peccatum mortale,  
eoque violari hoc præceptum Rat. quia qui ita iudicat, Dei  
officium usurpat, cuius est scrutari corda. Tria tamen requi-  
runtur, ut tale iudicium semper sit mortale, quorum uno  
deficiente est tantum veniale, 1. est, ut verè sit temerarium,  
id est, ex levibus conjecturis decerptum, 2. ut sit de mate-  
ria gravi, quæ hominem possit infamare, ut sit deliberatum  
plenè Respond. 2. & 3. suspicionem & dubitationem teme-  
rariam ferè non esse peccatum, aut certè esse veniale tan-  
tum. Rat. quia ad suspicionem requiruntur tantum proba-  
biles conjecturæ; deinde sunt plurimum representativæ. So-  
to tamen cont. Cajet. putat suspensiones posse fieri aliquando  
peccata mortalia, si sint verè temerariæ, in re gravi. Et rat.  
est, quia suspicari de re gravi, crimine, hæresi, sodomia, sæpe  
majus detrimentum affert, quam si certè sciatur aliquod  
aliud peccatum.



## Iuramentum.

Vide v. *Adjuratio, Menurcium, Votum.*

1. Iuramentum est invocatio divini nominis in testimonium. Iuramentum aliud verbis enuntiatur, aliud nutu, aut signo, aut manu sublata, aut tactu Evangeliorum, vel reliquiarum: aliud fit per simplicem contestationem, qua Deus in testem adducitur, ut dicendo, *testor Deum, juro per Deum,* &c. Quovis modo fiat, semper est ejusdem speciei. *tom 2. circa secundum Decalogi præceptum, disp. 4. quest. 1. punct. 1. n. 1. & punct. 2. num 1. & 2.*

2. Ad iuramentum sufficit tacita Dei invocatio, censeturque semper iuramentum, dum adducitur creatura in testem, expresso etiam nomine Dei in obliquo, & quoties in creatura specialiter Deus relucet. *ibid punct 1. nu. 3 & 4.*

3. Adhibens verba, quæ quis falso putat importare iuramentum, tenetur vi iuramenti; quamquam is non tenebitur vi iuramenti, si absque intentione verè jurandi, adhibeat verba non importantia verum iuramentum. Et hoc valet etiam si adhibuerit verbum *juro*, aut aliquid aliud addiderit, quod distrahat verbum à propria significatione. *ibid. num. 6. & 7.*

4. Ut licitum sit iuramentum tria requiruntur, videlicet veritas, iustitia & iudicium. Veritas ad iuramentum requisita consistit in hoc, ut jurans non levi, sed probabili conjectura, & prudenter, putet verum esse quod jurat: Iudicium in hoc, ut fiat cum necessitate & reverentia: & iustitia in hoc, ut iuramentum fiat de re licita. *ibid punct. 3. n. 4 & seqq.*

5. Materia iuramenti debet esse res licita, & non peccaminosa, neque indifferens aut impossibilis, aut impeditiva majoris boni, seu divinis consiliis contraria; modo materia illa maneat semper indifferens, vel iuramentum non sit factum in favorem alterius. *ibid. punct. 4. n. 1. & 2.*

6. Iuramentum factum de re prohibita per legem civilem quæ primario & immediatè dirigitur ad bonum publicum, non obligat; obligat tamen iuramentum factum contra legem respicientem bonum particulare, modo non vergat in præjudicium tertii. Lex autem primario respicit bonum commune, quando ex ejus transgressione læditur bonum.

num commune, privatum verò respicit, quando confirmatio primario non læditur. *ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

7. Promissio, aut iuramentum factum contra prius iuramentum, aut contra votum, aut contra priorem promissionem validam non obligat; quia secundum iuramentum & secunda promissio est de re quæ sine peccato servari non potest: gesta verò contra obligationem iuramenti, validæ sunt; nisi aliunde irrita; (nam irritari possunt à jure,) hæc revocatio testamenti facta contra iuramentum de non revocando testamento, valida est; sicut & venditio quoque facta contra promissionem iuramenti de non vendendo. *ibid. punct. 6. num. 1. & 2.*

8. Alienatio fundi dotalis facta à muliere cum iuramento contra prius iuramentum factum, illum non alienandi, non valida est; nam jurans non alienare, tacite censetur reprobare alienationem futuram, & censetur nolle contravenire suo iuramento. *ibid. num. 3.*

9. Ex iuramento facto cum animo non adimplendi nascitur obligatio ex vi iuramenti, quia ex contractu celebrato animo non solvendi nascitur obligatio; ergo etiam nascitur ex iuramento facto cum animo non adimplendi. *ibid. punct. 7. num. 5.*

10. Qui jurat fide, seu qui jurat exterius absque animo jurandi, vel cum animo non se obligandi, vel cum animo non adimplendi, peccat mortaliter quovis modo ex prædictis periret, quoties iuramentum rationabiliter exigitur. *ibid. num. 6.*

11. Iuramentum non obligat, quoties error & dolus sunt circa substantiam rei promissæ, aut versantur circa causam finalem, seu quoties jurans secundum prudentem estimationem, non censetur voluisse jurare, si dolum cognovisset. *ibid. punct. 8. num. 3. & 4.*

12. Iuramentum metu gravi extortum, quamvis iniustum, obligat sub mortali, modo sit de re licita: juransque, & postea dubitans, an habuerit animum adimplendi iuramentum metu gravi extortum, tenetur illud adimplere. *ibid. punct. 9. num. 1. 3. & 4.*

13. Non omnibus permissum est jurare judicialiter; nam masculis ante decimum quartum annum, & puellis ante duodecimum, interdicitur iuramentum solemne in iudicio in causis civilibus. *ibid. punct. 10. num. 1.*

14. Iuramentum potest per nuntium vel Procuratorem præstari,

præstari, vel quando lex proprium iuramentum non requirit, & quando nuntius seu Procurator habet ad hoc speciale mandatum; & tunc ille cuius nomine præstatur iuramentum, obligatur, non verò Procurator seu nuntius, ut patet à simili in matrimonio *Ibid. n. 2. & seq.*

15. Iuramentum ex iusta causa licite exigitur ab eo qui creditur pejeraturus: peccat tamen ille qui sine iusta causa petit iuramentum ab eo quem credit pejeraturum, etiamsi ille sit pejerare paratus. *Ibid. punct. 11. num. 1 & 3.*

16. Magis peccat ille qui curat adduci falsum Deum in testem veri, quàm qui curat adduci verum Deum in testem falsi. *Ibid. num. 4.*

17. Non committitur mendacium proferendo verba iuxta alium sensum quàm audientes intelligant; quando verba duplicem sensum habent, licetque uti verbis amphibologicis, quando pateretur quis damnùm iis non utendo: nec dicendus perjurus, qui absque iusta causa utitur æquivocatione cum iuramento: non licet tamen absque iusta causa uti æquivocatione, juransque alio sensu quàm alter intelligat sine iusta causa, tenetur ex vi iuramenti ad servandum id quod jurans iuxta mentem suam intellexit. Quare peccat mortaliter qui crimen suum in iudicio verbis amphibologicis occultat absque iusta causa, modò iudicè interrogetur, & teneatur illud latere. Venditores tamen, qui in vendendis mercibus æquivocando jurant rem suam sibi tantum stetit, non videntur peccare mortaliter præciso notabili damno quod ementibus asserunt. Et qui addit orationi ambiguae iuramentum ad nihil tenetur ratione iuramenti præcisè, videturque excusandus à mortali. *Ibid. p. 12. num. 1. & seq.*

18. Qui habet consuetudinem jurandi, sed non mentiendi, non est in statu peccati mortalis, neque peccat mortaliter, licet non conetur talem consuetudinem evellere: at conjugens ex consuetudine mendacium cum iuramento, peccat mortaliter, si non curet talem consuetudinem extirpare. *Ibid. punct. 13. num. 3. & 4.*

19. Habens consuetudinem jurandi & mentiendi, sed non conjugendi mendacium cum iuramento, tenetur illam consuetudinem sub mortali extirpare, quia censetur esse in morali periculo pejerandi. Potest quis se ab huiusmodi statu peccati liberare, dolendo de peccatis & mala consuetudine, & proponendo se amplius non juraturum, atque adeò non

habiturum talem consuetudinem. *ibidem num. 5 & 6.*

20. Violans iuramentum promissorium deliberate et in re magni momenti, peccat mortaliter; imo etiam violans iuramentum in re parvi momenti serio promissa. *punct. 14 n. 1. & 2.*

21. Emittens iuramentum comminatorium de infligenda alicui poena, quam iuste potest infligere, tenetur iuramentum adimplere; modo ejus adimpletio non sit impeditiva majoris boni, aut non sit sublata causa, propter quam adimpleri debeat. Tunc autem comminatio poenae censetur fieri in ira, & non ad correctionem, dum quis iratus comminatur, cui in eundem errorem labenti non minaretur imposita ira. *ibid. num. 3. & 4.*

22. Obligatio iuramenti non transmittitur praesens successoribus jurantis, quia iuramentum est vinculum personae, quod jurans voluntarie assumit; dicendum tamen obligationem contractus supra quem cadit iuramentum transmitti ad haeredes, modo contractus sit validus, vel iuramento firmetur. *ibid. punct. 15 n. 1. & 2.*

23. Laicus ratione iuramenti conveniri potest, tam coram iudice Ecclesiastico, quam saeculari. *ibid. n. 4.*

24. Iuramentum cadens supra propositum, vel promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione jurantis, vel ex dispositione juris, vel ex consuetudine iam recepta, eo modo explicandum est, quo explicatur & obligatur promissio. hinc sequitur eum qui cum iuramento promissum nuptias Bertae diviti, sanae, virgini, bonae famae, &c. quae post promissionem incidit in infirmitatem, vel in paupertatem, vel in fornicationem, non teneri stare iuramento, nec teneri eam vi iuramenti ducere. *ibid. punct. 16. n. 1. & 2.*

25. Iuramentum in dubio ita explicandum est, ut quantum fieri possit minus obliget servata verborum proprietate; propterea iuramentum vel votum non ludendi explicandum est, & intelligendum de ludo illicito, nisi aliter colligatur de mente jurantis, vel voventis; hinc colligitur eum qui iuravit absolute non ludere, non solum non posse nomine proprio ludere, verum neque alieno, nisi aliter quoque colligatur de mente jurantis. Item filius a quo pater extorsit iuramentum non ludendi, donec Roma redeat, ex quo non potest ludere, si pater Romae moriatur. Item qui promittit solvere debitum intra mensem, non tenetur illud in

tra mensem, sed eo transacto solvere. Item Medici non ad-  
monentes agrum gravi morbo laborantem, ut confiteatur,  
illum que visitantes nondum facta post tertiam diem con-  
fessione, peccant peccato perjurii, ubi decretum Pii V. super  
hoc est receptum; nisi Confessarius asserat confessionem  
posse differri. Hoc decretum non obligat, quando infirmi-  
tas non est gravis, nec est periculum, vel dubium ut fiat gra-  
vis. Item Medicus non incurrit prædictum casum reserva-  
tum, si infirmus nolit confiteri, & periculum est mortis, si à  
Medico deseratur. *ibid. n. 3. & seq.*

26 Obligatio juramenti impediri potest ne inducatur,  
vel per legem destruentem omnino contractum humanum,  
supra quem cadit, vel prohibendo ejus adimplerionem, ut si  
ne peccato nequeat adimpleri. *ibid. punct. 17 n. 1.*

27. Obligatio juramenti jam inducta, quatuor modis  
tollitur; aut mutatione materiæ, ut si materia juramenti fiat  
illicita; aut remissione, seu relaxatione ejus in cujus favo-  
rem factum est juramentum; aut tollitur per iritationem  
factam per Superiores, quibus subjecta est materia jura-  
menti, aut per commutationem, vel dispensationem. *ibid.*  
*num. 2. 3. 4. & 7.*

28 Qui consentit in juramenta subditorum, non potest  
licet absque nova causa ea juramenta irritare: & hoc valet  
etiam in patre respectu filii. *ibid. num. 5.*

29. Facultatem habens dispensandi in juramentis, non  
potest dispensare in juramento, in favorem tertii facti, & ab  
eo acceptato, nisi aliqua injuria præcesserit, vel nisi ita po-  
stulet commune bonum. *ibid. n. 8.*

30 Juramenta irritata non reviviscunt post mortem ir-  
ritantium. *ibid. num. 6.*

31. Prestans juramentum alicui ratione dignitatis, non  
vero personæ, tenetur illud idem successoribus præstare.  
Quod si ille, cui factum est juramentum, privetur dignitate,  
vel moveatur ab officio, non tenebuntur jurantes servare  
juramentum obedientiæ præstitum illi ratione dignitatis,  
quia cessat causa ob quam præstitum fuit juramentum. *ibid.*  
*num. 14. & 15.*

32. Non facit contra votum, nec dicitur perjurus, qui  
non facit id in quo juramentum auctoritate Superioris fuit  
commutatum. *ibid. num. 13.*

Z 2

ADDI-

## A D D I T I O.

Juramentum quadruplex est, assertorium, in quo affirmatur, aut negatur aliquid præsens, aut præteritum. Promissorium, in quo futurum affirmatur, vel negatur promittendo. Comminatorium, in quo promittitur malum peccando. Execratorium, in quo sive promittendo, sive asserendo, aliquid affirmatur, vel negatur, sibi apponendo pœnam. Comminatorium, ad promissorium; execratorium ad promissorium & assertorium revocatur.

Dupliciter in juramento peccatur, 1. cum quis jurat per falsos Deos, aut per demonem, quod quidem lethale scelus est; 2. cum in eo tres necessariae conditiones desistantur, veritas, justitia, necessitas.

Veritas triplex est, 1. quando res est, ut dicitur, 2. cum credo rem esse, ut dico, licet non sit, 3. cum quod dico est, ut existimo. Triplex etiam falsitas, 1. cum quod dico, cum re non convenit, 2. cum non convenit cum mente dicentis, licet cum re conveniat, 3. cum repugnat rei & menti. Prima falsitas mendacium non est, sed secunda, & tertia; mendacium enim est, cum homo dicit id, quod mente non credit, quamvis res ita se habeat, ut loquitur. Jurare igitur aliter, quam homo in corde credit, semper, etiam in re levissima, lethale scelus est, nisi incogitantia excuset; jurans falsum, existimans se verum jurare, non peccat, in tribus tamen casibus peccat mortaliter, scilicet 1. cum non adhibuit diligentiam ad veritatem cognoscendam, 2. cum rem dubiam, ut certam juramento affirmat, vel negat. 3. cum jurasset, etiam si scivisset mendacium.

Homo interdum tenetur secundum alterius mentem jurare, 1. cum sponte jurat, non rogatus, 2. cum superior ab eo juridicè juramentum exigit, (nam si judex juramentum exigat contra justitiam æquivocatione uti potest, jurando veritatem, secundum suam mentem.) juridicè quis interrogatur, si præcessit infamia, aut si adest semiplena probatio, aut testis fide dignus. Rogatus de occulto crimine Reip. pernicioso, ut est hæresis pertinax, ab alio patrato, (non à se) tenetur verum dicere.

Venditor rogatus ab emptore, ut rei veritatem juret, æquivocatione uti non potest.

Justi-

Justitia servanda est in iuramento. Illud jurare non licet, quod revelare nefas est, si iniustitia, supra quam juratur, mortalis est, iuramentum erit mortale; si venialis, veniale.

Necessitas, vel utilitas requiritur, ad licitum iuramentum. Jurans igitur rem nullius momenti, aut ea, quæ sine iuramento crederentur, peccat, venialiter tamen, si absit contemptus, & periculum pejerandi.

In promissorio iuramento promittens sine animo adimplendi, semper mortiferè peccat, nisi actus imperfectione excusetur. Promittere rem iniustam, mortiferè, mortiferum tamen; si sola necessitas, aut utilitas desit, veniale.

Qui iuravit quocumque modo rem licitam, animo sese obligandi, tenetur, sub mortali culpa, efficere, quod iuravit, etiam si sit levis, interdum tamen iuramentum servandum non est. 1. Qui rem malam, aut indifferentem iuravit, non obligatur, & si mortale iuravit, peccavit mortiferè. 2. si post iuramentum eius observatio impossibilis effecta est, aut non bona, aut majoris boni impeditiva, aut sublata est iuramenti ratio, 3. ratione modi jurandi, 4. ratione relaxationis factæ ab eo, cui promissum est.

In comminatorio; si malum pœnæ promissum inferre, malum sit, cessat voti obligatio, præterea si accidat aliquid, unde melius sit, non stare, quam stare promissis, ut si mutetur rei status, si credatur illatio mali futura inutilis, aut majoris boni impeditiva.

Iuramenta inferiorum in iis in quibus superioribus ii subijciuntur, superiores relaxare possunt, id est, declarare nulla, lege Azor. *lib. 11. cap. 9. §. 10.*

Dispensatio, & commutatio iuramentorum ad Papam & Episcopum spectat, sed sine causa neutra facienda est. Eorum iuramentorum dispensatio & commutatio ad Papam pertinet, quæ, si iuramenta essent vota, ad eundem spectarent, ceterorum ad Episcopum, si iurasti in utilitatem tertii, sine huius consensu, commutatio, aut dispensatio fieri non potest, nisi in pœnam illius, cui factum est, aut ni factum sit vi, metu, aut fraude alterius.

Quæres: An liceat jurare per creaturas. Respond. Esse mortale peccatum, jurare per creaturas, ut in iis propria virtus, & divinitas inesse credatur juxta ritum gentilium. Nam talia iuramenta execratur divina Scriptura, Exod. 23. Resp. 2. licere jurare per creaturas, ut in illis relucet divina

veritas, vel ut sunt effecta Dei. Nam ita iuravit Moyses Deut 3. & 4. Resp. etiam licere jurare per creaturas, ut iures creatas, iuramento execratorio, tunc enim Deo creatura offertur, qui vocatur in testem, ut in ea iudicium exerceat, si falso juretur. Busæus.

Quæres : An iuramenta coacta etiam ex metu cadentia in virum constantem, sint obligatoria. Resp. esse, si non desint tres conditiones obligatoriæ, de quibus *in c. verum* & *in cap. si verò. de iurejurand* quia est illa communis sententia. 3. Quia fieret Deo irreverentia, si non impleretur huiusmodi iuramenta, cum sint Deo teste facta, & sint de materia licita. Busæus.

Quæres : An ratione circumstantiarum perjurium possit fieri veniale peccatum, vel ratione levitatis materiæ, vel coactionis, vel ignorantia, vel inadvertentiæ, vel joci, seu intentionis non jurandi. Resp. 1. de levitate materiæ in assertorio iuramento perjurium, juxta communem sententiam semper esse mortale, in promissorio vero esse veniale, ut Syl. Sot. Nav Resp. 2. de coactione, secundum Panorm. & Gloss. perjuria coacta esse venialia. S. Thom. & alii tamen communiter volunt esse mortalia, & ratio est, quia coactio non facit involuntarium perjurium. Resp. 3. De ignorantia, si sit crassa, vel affectata, non excusare à mortali, si verò sit invincibilis & improbabilis, excusari à mortali, & secund. Sylv. etiam à veniali, si debita diligentia sit adhibita. Addit tamen, si quis de re, de qua dubitet, juret, tamquam de re certa, committere peccatum mortale. Resp. 4. De inadvertentiâ, ea excusari à mortali, quando lingua præcurrit mentem. Resp. 5. De joco, à mortali peccato, de communi sententia non excusare. Quod videtur tantum esse verum de perjuriis per Deum, & creaturas factis, non autem de perjuriis per falsos Deos. Hæc Busæus.

L.

*Ligatum.*Vide v. *Hæres, Substitutio, Testamentum.**Lex. Legislator.*Vide v. *Privilegium.*